[illegible]

Digitized by Google

CLEMENTINA
CONSTITUTIO
UNIGENITUS
ECCLESIÆ TRADITIONUM
VINDEX.

Eminentiſsimo, ac Reverendiſsimo

S. ROMANÆ ECCLESIÆ CARDINALI

JOANNI BAPTISTÆ
PTOLEMÆO

DICATA

AB AUTHORE ABBATE ALOYSIO ANDRUZZI
Philoſ. ac Theol. Doct. & in Bononien. Archigym.
Public. Profeſſ.

BONONIÆ M.DCC.XXIII.
Ex Typographia Lælii à Vulpe.
SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

Eminentiſſimo, ac Reverendiſſimo

S. ROMANÆ ECCLESIÆ CARDINALI

JOANNI BAPTISTÆ

PTOLEMÆO

ALOYSIUS ANDRUZZI

FELICITATEM

Q*Vicumque* (*Princeps Eminentiſſime*, *orthodoxæ Religionis immortale decus*, *ac dulce meum Præſidium*) *ingrati ani-*

Digitized by Google

mi non crimen ſolùm, ſed nomen etiam, vel umbram horret: Capiet ſanè non mediocrem voluptatem, quòd ego multis, juſtiſſimiſque de cauſis hoc opuſculum CONSTITUTIONEM *inſcripſerim* CLEMENTINAM. *Præclara enim operæ pretium me facturum exiſtimavi, ſi nihil mihi foret optatius, ac jucundius, quàm ut primum abs Te ipſo, deinde à cæteris omnibus gratus erga CLEMENTEM XI. Patronum beneficentiſſimum cognoſcerer: poſtquam perpetuum voluntatis beneficiorum memoris monumentum clara tanti Pontificis, æternaque memoria conſecraverim. Quinetiam inſcribendum libro nomen* CLEMENTIS *eo ſum conſilio arbitratus: ut quod ille humani Generis felicitati ereptus, & incredibilis benignitatis ſuæ, & ſummæ probitatis, ac ſapientiæ deſiderium reliquit; Non nihil hiſce imaginibus leniretur. Memini enim, memini, neque unquam obliviſcar quàm inuſitata, inauditaque clementia amplus ille Clementis, & altus animus, Te ipſo audiente, me dignitatibus immerentem licet,*

cet,

cet, ornare fuerit meditatus: antequam à ſocietate corporis ſevocatus ad Beatorum ſuperum concilium demigraſſet. Cum lux illa excellentis ingenii, quam in Clemente omnes tanquam cœleſtem ſuſpeximus, non alienum duxit majeſtate ſua humiles haſce meas, rudeſque lucubrationes crebrò luſtrare, perſpicere, humaniſſimè approbare; tum denique ad benè ſperandum vel ipſa Fortuna viſa eſt quaſi ſignum aliquod ſuſtuliſſe. Jamque opus erat in vulgus emanaturum; Cum optimus litterarum Parens inter mortales deſiit vitam degere. Tunc enimverò illum hauſi dolorem vel acerbiſſimum in vita, neque enim eam mihi arrogo ſapientiam, ut communem ſenſum repudiem humanitatis. Tum quidam Heterodoxi inconſultò exultare cœperunt, & inſulſe jactare CONSTITUTIONEM Unigenitus *una cum Parente ſuo jacere contumulatam. Verùm ò ſpes fallaces, ò miſellas hominum cogitationes. CLEMENTI ſucceſſit meritò INNOCENTIUS XIII. ſingulari pietate, & incredibili conſtantia præditus, ac litterarum*

Amplificator liberaliſſimus: quem certe quidem tum altitudo Familiæ longa Pontificum ſerie Regnatricis; tum ipſa ratio, ac natura ad honeſtatem, gravitatem, integritatem, magnitudinem animi, juſtitiam, munificentiam, ad omnes denique virtutes magnum, & excelſum finxerunt. Hæc bona, quæ videmus egregia, ac pene divina, ipſius INNOCENTII XIII. ſunt propria. Ille, Ille, inquam, CONSTITUTIONEM Unigenitus *præcipua ſolicitudine, & eximia prudentia tuetur; ejuſdemque veritatem ſuavitate quadam humanitatis, ſermonis, & morum, vel contumacibus inſtillat.*

Atque utinam in Te etiam Queſnellianorum omnium ora, & oculi converterentur: incredibili profecto ipſe, uberrimoque doctrinarum genere, ineluctabili argumentorum copia, & mirabili ſuaviloquentia non opinione illis, ſed ad veritatem plane perſuaderes. Hac indole ſanctitatis, ferat hoc modeſtia tua, fulges, ut (quod certe de honeſti facie à Platone dictum accepimus) cum oculis cerneris, puros, ca-

ſtiſſi-

ſtiſſimoſque amores excites tui. Tuæ autem gravitati, atque ſeveritati cum integritas, atque innocentia ſingularis comitatem, ac facilitatem aſperſerit; non iſta quidem ſunt meliora, quippe quæ ſint optima, ſed certe condita jucundius. In Te miſeris commune perfugium eſt, cum ita ratio tuæ vitæ comparata ſit, ut conſilio libero pro Chriſtianæ Religionis dignitate, & amplitudine labores, vigiles, tua negligas, nihil deneges, quod bono dignum ſit. Vel ipſam temporis autumnalis particulam, qua defatigati animi ex magnis occupationibus requiem ſolent quærere; ad principem illam, ſplendidam, ſempiternam, pulcherrimam, & ab omni concretione mortali ſolutam Mentem altius contemplandam, perfruendamque traducis. Hactenus Tuam imaginem (ò ſplendidiſſimum Purpuratorum Patrum, rarumque noſtri ſeculi ornamentum) pingui minerva ſum adumbrare conatus; nihil jam de Te dicam aliud. Poſteritatis intererit (mihi crede) ſummis laudibus ad cœlum res tuas geſtas efferre: erunt multis

poſt

poſt ſeculis judices, qui de Te præclarius, & illuſtrius, & uberius, quàm ego, at certè non incorruptius judicabunt. Equidem ſatis, ſuperque habeo, quòd pro tot, tantiſque tuis in me eximiis beneficiis, quorum memoriam obſcuratura nulla unquam ſit oblivio, exiguum aliquod meæ in Te obſervantiæ, gratique animi ſpecimen dederim. Tu interim pro ſumma humanitate tua me excipe, erige ampliſſimo Patrocinio, graviſſima auctoritate defende, ac Reipublicæ Chriſtianæ gloria diutiſſime Vive.

Præ-

Præfatio

INclyta, pia DOMINICANORUM RELIGIO Chriſtianæ Reipublicæ, demirandum præbuit Divum *THOMAM*; Cui præclarum hoc, verumque teſtimonium Innocentius IV. dediſse traditur: *neminem* ſcilicet *unquam inventum, qui cum teneret doctrinam Divi Thomæ, de tramite veritatis deviarit; Et qui illam impugnavit, ſemper fuit de veritate ſuſpectus*: Cujus quidem doctrinam Urbanus V. pronunciavit *eſſe ſequendam tanquam Veridicam, & Catholicam*. Clemens tandem VIII., ut reliqua Divi Thomæ præconia prætermittam, fidem facit divini illius teſtimonii: *BENE SCRIPSISTI DE ME THOMA*. Quę cum ita ſint: Minime mirum eſt, ſi conſilium ceperim hoc in opere illuſtribus, atque ineluctabilibus tanti Doctoris teſtimoniis, fulgentique doctrina ſingulas Queſnelli Theſes refellere.

Accedit huc Magni *AUGUSTINI* graviſſima Auctoritas, ac Sententia; quem certe quidem Beatus Cęleſtinus Papa epiſtola ad Epiſcopos Galliæ, tot, juſtiſſimiſque laudibus, ac præconiis ornavit, & extulit, ut affirmaverit: *quem nullus unquam ſiniſtræ ſuſpicionis ſaltem rumor aſperſit*. Adeo coluit, venerata-

rata-

rataque ſemper eſt Auguſtini doctrinam Eccleſia, ut Canones Arauſicani ſecundi Concilii omnes ad unum ex Auguſtini Theſauris depromerentur. Joannes verò ſecundus Romanus Pontifex epiſtola ad Illuſtres quoſdam Senatores, producturus Auguſtinum, inquit: *Item Sanctus Auguſtinus, cujus doctrinam ſecundum Prædeceſſorum meorum Statuta Romana ſequitur, & ſervat Eccleſia.*

Præclaræ igitur operæ pretium facturus ſum, ſi hujus quoque tam excellentis Magiſtri Orbis firmiſſimis teſtimoniis Queſnellum ipſum, ejuſdemque ſtudioſos Aſseclas, ac Diſcipulos elingues reddidero: qui certe quidem ad maximam, nobiliſſimam, doctiſſimamque Galliarum partem, ad Hiſpanias integras, Italiam, Germaniam, Poloniam, Luſitaniam, totumque orbem Catholicum, qui Clementem XI. Supremum Paſtorem ſuum ſecutus, una, eademque voce, atque ſententia Queſnellum, Queſnellianoſque damnat, ac perhorreſcit; nihil ſunt.

Poſſem ſane plurima cæterorum etiam Sanctorum Patrum teſtimonia contra fœdiſſimarum hujuſmodi Propoſitionum Auctorem, parentemque in medium afferre; At cum verear, vereque verear ne, voluminis magnitudo ſi creverit; Doctiſſimorum Virorum non ita pauci ad illud cavendum ſatis parati ſint: Duce, ac Magiſtro Magno

Au-

Auguſtino, Divo Thoma Doctore Angelico, necnon œcumenicis Synodis, Summorumque Pontificum definitionibus, quas univerſa ſuſcipit, ac veneratur Eccleſia, uſus, contentus ero parvo opuſculo; dummodo inter Virorum Sapientiſſimos ab aliis ad alios hoc latiſſime manare queat. Sic enim venenum illud, quod Queſnellianorum breves libelli per manus traditi, obſcureque ſerpentes, cito, longe, lateque ſpargunt; & in Chriſtianorum venas figunt; poterit meum iſtud opuſculum facile ex incautorum fibris elicere, ac exprimere, bene juvante Deo optimo, Maximo, cui quidquid eſt in me, ſi quid tamen eſt ingenii, acceptum refero, unice que totum devoveo. Jamque oppugnare Queſnelli Theſes aggredior: quarum quidem aliæ ad ſenſum, cogitationemque venenum illico manifeſte ſpargunt; aliæ verò, ſi, prout ſonant, conſiderentur, ſpeciem bonam præſeferre videntur: ſin autem RESPECTIVE, ut CONSTITUTIO *Unigenitus* exprimit, perpendantur, & non ſolum aliæ ad alias, ſed ad falſa etiam Auctoris nota principia referantur: evomunt profecto ſtatim virus acerbitatis ſuæ. Quamobrem velim intelligant homines nequaquam mihi eſſe in animo omnes Queſnellianas Theſes, prout ſonant, refellere, ſed oſtendere certas quaſdam, vel contagione aliarum Propoſitionum contaminari, vel pravis Queſnelli principiis maculari.

Vidit

Vidit D Jo: Chryſoſtomus Piazza Cler. Regul. Congreg. Sancti Pauli, & in Eccleſia Metropolitana Bononiæ Pœnitentiarius Rector pro Eminentiſſimo, & Reverendiſſimo Domino D. Jacobo Cardinali Boncompagno Archiepiſcopo, & Principe S. R. I.

Die 3. Novembris 1722.

IMPRIMATUR

F. V. Maria Mazzoleni Inquiſitor Gen. Sancti Officii Bononiæ.

SAN-

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI DOMINI

CLEMENTIS

Divina Providentia Papæ XI.

Damnatio quamplurium Propoſitionum excerptarum ex Libro Gallico idiomate impreſſo: & in plures Tomos diſtributo, ſub titulo: *Le Nouveau Teſtament en Francois, avec des reflexions morales ſur chaque verſet, &c. A Paris 1699*; Ac aliter: *Abregé de la morale de l'Evangile, des Actes des Apoſtres, des Epiſtres de S. Paul, des Epiſtres Canoniques, e de l'Apocalypſe, ou Penſées Chretiennes ſur le Texte de ces Livres Sacrez, &c. A Paris 1693. & 1694.*

Cum prohibitione ejuſdem Libri, & aliorum quorumcumque in ejus defenſionem tam hactenus editorum, quàm in poſterum edendorum.

CLEMENS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Univerſis Chriſtifidelibus ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

UNIGENITUS DEI FILIUS pro noſtra, & totius Mundi ſalute filius hominis factus, dum Diſcipulos ſuos doctrina veritatis inſtrueret, univerſamque Eccleſiam ſuam in Apoſtolis erudiret, præſentia diſponens, & futura proſpiciens, præclaro, ac ſaluberrimo documento Nos admonuit, ut attenderemus à falſis Prophetis, qui veniunt ad Nos in veſtimentis Ovium, quorum nomine potiſſimùm demonſtrantur Magiſtri illi mendaces, & in deceptione illuſores, qui ſplendida pietatis ſpecie prava dogma-

Digitized by Google

ta latenter inſinuantes, introducunt ſectas perditionis ſub imagine Sanctitatis; utque faciliùs incautis obrepant, quaſi deponentes lupinam pellem, & ſeſe Divinæ Legis ſententiis, velut quibuſdam Ovium velleribus obvolventes, Sanctarum Scripturarum, adeoque etiam ipſius Novi Teſtamenti verbis, quæ multipliciter in ſuam, aliorumque perditionem depravant, nequiter abutuntur: antiqui ſcilicet, à quo progeniti ſunt, mendacii Parentis exemplo, ac magiſterio edocti, nullam omninò eſſe ad fallendum expeditiorem viam, quàm ut ubi nefarii erroris ſubintroducitur fraudulentia, ibi divinorum verborum prætendatur authoritas.

His Nos verè Divinis monitis inſtructi, ubi primùm, non ſine intima cordis noſtri amaritudine, accepimus, Librum quendam Gallico idiomate olim impreſſum, & in plures Tomos diſtributum, ſub titulo: *Le Nouveau Teſtament en Francois, avec des reflexions morales ſur chaque verſet, &c. A Paris 1699.* Aliter verò: *Abregé de la morale de l' Evangile, des Actes des Apoſtres, des Epiſtres de S. Paul, des Epiſtres Canoniques, e de l' Apocalypſe, ou Penſées Chretiennes ſur le Texte de ces Livres Sacrez, &c. A Paris 1693. & 1694.* tametſi aliàs à Nobis damnatum, ac reverà Catholicis veritatibus pravarum doctrinarum mendacia multifariam permiſcentem, adhuc tamen tanquam ab omni errore immunem, à pluribus haberi, Chriſtifidelium manibus paſſim obtrudi, ac nonnullorum nova ſemper tentantium conſilio, & opera ſtudiosè nimis quaquaverſùm diſſeminari, etiam latine redditum, ut perniciosæ inſtitutionis contagium, ſi fieri poſſit, pertranſeat de gente in gentem, & de Regno ad populum alterum: verſutis hujuſmodi ſeductionibus, atque fallaciis creditum Nobis Dominicum Gregem in viam perditionis ſenſim abduci ſummoperè doluimus: adeòque Paſtoralis non minùs curæ noſtræ ſtimulis, quàm frequentibus Orthodoxæ Fidei Zelatorum querelis, maximè verò complurium Venerabilium Fratrum, præſertim Galliæ Epiſcoporum, literis, ac precibus

bus excitati, gliſcenti morbo, qui etiam aliquando poſſet in deteriora quæque proruere, validiori aliquo remedio obviam ire decrevimus.

Et quidem ad ipſam ingruentis mali cauſam providæ noſtræ conſiderationis intuitum convertentes, perſpicuè novimus ſummam hujuſmodi Libri perniciem ideò potiſſimùm progredi, & invaleſcere, quòd eadem intus lateat, & velut improba ſanies, nonniſi ſecto ulcere foras erumpat, cùm Liber ipſe primo aſpectu legentes ſpecie quadam pietatis illiciat; molliti enim ſunt ſermones ejus ſuper oleum: ſed ipſi ſunt jacula, & quidem intento arcu ad nocendum parata, ut ſagittent in obſcuro rectos corde. Nihil propterea opportunius, aut ſalubrius præſtari à Nobis poſſe arbitrati ſumus, quàm ſi fallacem Libri doctrinam generatim ſolummodo à Nobis hactenùs indicatam, pluribus ſingillatim ex eo excerptis Propoſitionibus, diſtinctiùs, & apertiùs explicaremus, atque univerſis Chriſtifidelibus noxia Zizaniorum ſemina è medio Tritici, quo tegebantur, educta, velut ob oculos exponeremus. Ità nimirùm denudatis, & quaſi in propatulo poſitis, non uno quidem, aut altero, ſed plurimis, graviſſimiſque, tùm pridem damnatis, tùm etiam novè adinventis erroribus, planè confidimus, benedicente Domino, fore ut omnes tandem apertæ jam, manifeſtæque veritati cedere compellantur.

Id ipſum maximè è re Catholica futurum, ſedandis præſertim in florentiſſimo Galliæ Regno exortis ingeniorum variè opinantium, jamque in acerbiores ſciſſuras protendentium diſſidiis apprimè proficuum: Conſcientiarum denique tranquillitati perutile, & propemodùm neceſſarium, non modò præfati Epiſcopi, ſed & ipſe in primis Chariſſimus in Chriſto Filius noſter Ludovicus Francorum Rex Chriſtianiſſimus, cujus eximium in tuenda Catholicæ Fidei puritate, extirpandiſque erroribus Zelum ſatis laudare non poſſumus, ſæpiùs Nobis eſt conteſtatus, repetitis proptereà verè piis, &

Chriſtianiſſimo Rege dignis officiis, atque ardentibus votis à Nobis efflagitans, ut inſtanti animarum neceſſitati prolata quantociùs Apoſtolici cenſura Judicii conſuleremus.

Hinc adſpirante Domino, ejuſque cœleſti ope confiſi, ſalutare opus ſedulò, diligenterque, ut rei magnitudo poſtulabat, aggreſſi ſumus, ac plurimas ex prædicto Libro, juxta ſupra recenſitas reſpectivè editiones, fideliter extractas, & tùm Gallico, tùm Latino idiomate expreſſas Propoſitiones à compluribus in Sacra Theologia Magiſtris, primò quidem coram duobus ex Venerabilibus Fratribus noſtris Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus accuratè diſcuti; deinde verò coram Nobis, adhibito etiam aliorum plurium Cardinalium conſilio, quàm maxima diligentia, ac maturitate, ſingularum inſuper Propoſitionum cum ipſomet Libri Textu exactiſſimè facta collatione, pluries iteratis Congregationibus, expendi, & examinari mandavimus. Hujuſmodi autem Propoſitiones ſunt, quæ ſequuntur, videlicet:

1 *QUid aliud remanet animæ, quæ Deum, atque ipſius gratiam amiſit, niſi peccatum, & peccati conſecutiones, ſuperba paupertas, & ſegnis indigentia, hoc eſt generalis impotentia ad laborem, ad orationem, & ad omne opus bonum?*

2 *Jeſu Chriſti gratia, principium efficax boni cujuſcumque generis, neceſſaria eſt ad omne opus bonum; abſque illa, non ſolum nihil fit, ſed nec fieri poteſt.*

3 *In vanum Domine præcipis, ſi tu ipſe non das quod præcipis.*

4 *Ita Domine; Omnia poſſibilia ſunt ei, cui omnia poſſibilia facis, eadem operando in illo.*

5 *Quando Deus non emollit cor per interiorem unctionem gratiæ ſuæ, exhortationes, & gratiæ exteriores non inſerviunt, niſi ad illud magis obdurandum.*

6 *Diſcrimen inter Fœdus Judaicum, & Chriſtianum eſt, quod in*

in illo Deus exigit fugam peccati, & implementum legis à peccatore, relinquendo illum in ſua impotentia: in iſto verò Deus Peccatori dat, quod jubet, illum ſua gratia purificando.

7 *Quæ utilitas pro homine in veteri fœdere, in quo Deus illum reliquit ejus propriæ infirmitati, imponendo ipſi ſuam legem? Quæ verò felicitas non eſt admitti ad fœdus, in quo Deus nobis donat, quod petit à nobis?*

8 *Nos non pertinemus ad novum fœdus, niſi in quantum participes ſumus ipſius novæ gratiæ, quæ operatur in nobis id, quod Deus nobis præcipit.*

9 *Gratia Chriſti eſt gratia ſuprema, ſine qua confiteri Chriſtum nunquam poſſumus, & cum qua numquam illum abnegamus.*

10 *Gratia eſt operatio manus Omnipotentis Dei, quam nihil impedire poteſt, aut retardare.*

11 *Gratia non eſt aliud, quàm voluntas Omnipotentis Dei, jubentis, & facientis, quod jubet.*

12 *Quando Deus vult ſalvare Animam, quocumque tempore, quocumque loco effectus indubitabilis ſequitur voluntatem Dei.*

13 *Quando Deus vult animam ſalvam facere, & eam tangit interiori gratiæ ſua manu, nulla voluntas humana ei reſiſtit.*

14 *Quantumcumque remotus à ſalute ſit Peccator obſtinatus, quando Jeſus ſe ei videndum exhibet lumine ſalutari ſuæ gratiæ, oportet, ut ſe dedat, accurrat, ſeſe humiliet, & adoret Salvatorem ſuum.*

15 *Quando Deus mandatum ſuum, & ſuam æternam locutionem comitatur unctione ſui Spiritus, & interiori vi gratiæ ſuæ, operatur illa in corde obedientiam, quam petit.*

16 *Nulla ſunt illecebræ, quæ non cedant illecebris gratiæ, quia nihil reſiſtit Omnipotenti.*

17 *Gratia eſt vox illa Patris, qua homines interius docet, ac eos venire facit ad Jeſum Chriſtum; quicumque ad eum non venit, poſtquam audivit vocem exteriorem Filii, nullatenus eſt doctus à Patre.*

18 *Semen verbi, quod manus Dei irrigat, ſemper affert fructum ſuum.*

19 *Dei gratia nihil aliud eſt, quam ejus omnipotens voluntas: hæc eſt idea, quam Deus ipſe Nobis tradit in omnibus ſuis Scripturis.*

20 *Vera gratiæ idea eſt, quod Deus vult ſibi à nobis obediri, & obeditur; imperat, & omnia fiunt; loquitur tamquam Dominus, & omnia ſibi ſubmiſſa ſunt.*

21 *Gratia Jeſu Chriſti eſt gratia fortis, potens, ſuprema, invincibilis, utpote quæ eſt operatio voluntatis Omnipotentis, ſequela, & imitatio operationis Dei incarnantis, & reſuſcitantis Filium ſuum.*

22 *Concordia omnipotentis operationis Dei in corde hominis, cum libero ipſius voluntatis conſenſu, demonſtratur illicò nobis, in Incarnatione, veluti in fonte, atque Archetypo omnium aliarum operationum miſericordiæ, & gratiæ, quæ omnes ita gratuitæ, atque ita dependentes à Deo ſunt, ſicut ipſa originalis operatio.*

23 *Deus ipſe nobis ideam tradidit omnipotentis operationis ſuæ gratiæ, eam ſignificans per illam, qua Creaturas è nihilo producit, & mortuis reddit vitam.*

24 *Juſta idea, quam Centurio habet de Omnipotentia Dei, & Jeſu Chriſti, in ſanandis Corporibus ſolo motu ſuæ voluntatis, eſt imago ideæ, quæ haberi debet de omnipotentia ſuæ gratiæ in ſanandis animabus à cupiditate.*

25 *Deus illuminat animam, & eam ſanat æque, ac corpus ſola ſua voluntate; jubet, & ipſi obtemperatur.*

26 *Nulla dantur gratiæ, niſi per Fidem.*

27 *Fides eſt prima gratia, & fons omnium aliarum.*

28 *Prima gratia, quam Deus concedit Peccatori, eſt peccatorum remiſſio.*

29 *Extra Eccleſiam nulla conceditur gratia.*

30 *Omnes, quos Deus vult ſalvare per Chriſtum, ſalvantur infallibiliter.*

31 *Deſideria Chriſti ſemper habent ſuum effectum; pacem intimo cordium infert, quando eis illam optat.*

32 *Jeſus Chriſtus ſe morti tradidit ad liberandum pro ſemper ſuo ſanguine Primogenitos, ideſt Electos, de manu Angeli exterminatoris.*

33 *Proh! quantum oportet bonis terrenis, & ſibimetipſi renunciaſſe, ad hoc ut quis fiduciam habeat ſibi, ut ita dicam, appropriandi Chriſtum Jeſum, ejus amorem, mortem, & myſteria, ut facit Sanctus Paulus dicens: Qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me.*

34 *Gratia Adami non producebat, niſi merita humana.*

35 *Gratia Adami eſt ſequela creationis, & erat debita naturæ ſanæ, & integræ.*

36 *Differentia eſſentialis inter gratiam Adami, & ſtatus innocentiæ, ac gratiam Chriſtianam eſt, quod primam unuſquiſque in propria perſona recepiſſet: iſta vero non recipitur, niſi in perſona Jeſu Chriſti reſuſcitati, cui nos uniti ſumus.*

37 *Gratia Adami, ſanctificando illum in ſemetipſo, erat illi proportionata: Gratia Chriſtiana nos ſanctificando in Jeſu Chriſto, eſt omnipotens, & digna Filio Dei.*

38 *Peccator non eſt liber, niſi ad malum, ſine gratia Liberatoris.*

39 *Voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet luminis, niſi ad aberrandum, ardoris, niſi ad ſe præcipitandum, virium, niſi ad ſe vulnerandum; Eſt capax omnis mali; & incapax ad omne bonum.*

40 *Sine gratia nihil amare poſſumus, niſi ad noſtram condemnationem.*

41 *Omnis cognitio Dei, etiam naturalis, etiam in Philoſo-*

phis Ethnicis, non poteſt venire, niſi à Deo, & ſine gratia non producit, niſi præſumptionem, vanitatem, & oppoſitionem ad ipſum Deum; loco affectuum adorationis, gratitudinis, & amoris.

42 *Sola gratia Chriſti reddit hominem aptum ad Sacrificium Fidei; ſine hoc nihil, niſi impuritas, nihil, niſi indignitas.*

43 *Primus effectus gratiæ baptiſmalis eſt facere, ut moriamur peccato; adeo ut ſpiritus, cor, ſenſus non habeant plus vitæ pro peccato, quàm homo mortuus habeat pro rebus Mundi.*

44 *Non ſunt, niſi duo amores, unde volitiones, & actiones omnes noſtræ naſcuntur; Amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur; & Amor, quo nos ipſos, ac Mundum diligimus, qui, quod ad Deum referendum eſt, non refert, & propter hoc ipſum fit malus.*

45 *Amore Dei in corde Peccatorum non amplius regnante, neceſſe eſt, ut in eo carnalis regnet cupiditas, omneſque actiones ejus corrumpat.*

46 *Cupiditas, aut Charitas, uſum ſenſuum bonum, vel malum faciunt.*

47 *Obedientia legis profluere debet ex fonte; & hic fons eſt Charitas. Quando Dei amor eſt illius principium interius, & Dei gloria ejus finis, tunc purum eſt, quod apparet exterius; alioquin non eſt, niſi hypocriſis, aut falſa juſtitia.*

48 *Quid aliud eſſe poſſumus, niſi tenebræ, niſi aberratiò, & niſi peccatum ſine Fidei lumine, ſine Chriſto, & ſine Charitate?*

49 *Ut nullum peccatum eſt ſine amore noſtri, ita nullum eſt opus bonum ſine amore Dei.*

50 *Fruſtra clamamus ad Deum, Pater mi: ſi ſpiritus Charitatis non eſt ille, qui clamat.*

51 *Fi-*

51 *Fides juſtificat, quando operatur; ſed ipſa non operatur, niſi per Charitatem.*

52 *Omnia alia ſalutis media continentur in fide, tamquam in ſuo germine, & ſemine; Sed hæc fides non eſt abſque amore, & fiducia.*

53 *Sola Charitas Chriſtiano modo facit (actiones Chriſtianas) per relationem ad Deum, & Jeſum Chriſtum.*

54 *Sola Charitas eſt, quæ Deo loquitur; eam ſolam Deus audit.*

55 *Deus non coronat, niſi Charitatem; qui currit ex alio impulſu, & ex alio motivo, in vanum currit.*

56 *Deus non remunerat niſi Charitatem, quoniam charitas ſola Deum honorat.*

57 *Totum deeſt Peccatori, quando ei deeſt ſpes, & non eſt ſpes in Deo, ubi non eſt amor Dei.*

58 *Nec Deus eſt, nec Religio, ubi non eſt Charitas.*

59 *Oratio Impiorum eſt novum peccatum, & quod Deus illis concedit, eſt novum in eos judicium.*

60 *Si ſolus ſupplicii timor animat pœnitentiam, quo hæc eſt magis violenta, eo magis ducit ad deſperationem.*

61 *Timor nonniſi manum cohibet, cor autem tandiu peccato addicitur, quandiu ab amore juſtitiæ non ducitur.*

62 *Qui à malo non abſtinet, niſi timore pœnæ, illud committit in corde ſuo, & jam eſt Reus coram Deo.*

63 *Baptizatus adhuc eſt ſub lege ſicut Judæus, ſi legem non adimpleat, aut adimpleat ex ſolo timore.*

64 *Sub maledicto legis numquam fit bonum, quia peccator ſive faciendo malum, ſive illud non niſi ob timorem evitando.*

65 *Moyſes, Prophetæ, Sacerdotes, & Doctores legis mortui ſunt, abſque eo quod ullum Deo dederint filium, cum non effecerint niſi mancipia per timorem.*

66 *Qui vult Deo appropinquare, nec debet ad ipſum venire cum brutalibus paſſionibus, neque adduci per inſtinctum natu-*

naturalem, aut per timorem, ſicuti Beſtia, ſed per ſidem, & per amorem, ſicuti filii.

67 *Timor ſervilis non ſibi repræſentat Deum, niſi ut Dominum durum, imperioſum, injuſtum, intractabilem.*

68 *Dei Bonitas abbreviavit viam ſalutis claudendo totum in Fide, & precibus.*

69 *Fides, uſus, augmentum, & præmium Fidei, totum eſt donum puræ liberalitatis Dei.*

70 *Nunquam Deus affligit innocentes, & afflictiones ſemper ſerviunt vel ad puniendum peccatum, vel ad purificandum Peccatorem.*

71 *Homo ob ſui conſervationem poteſt ſe ſe diſpenſare ab ea lege, quàm Deus condidit propter ejus utilitatem.*

72 *Nota Eccleſiæ Chriſtianæ eſt, quod ſit Catholica, comprehendens, & omnes Angelos cœli, & omnes Electos, & Juſtos terræ, & omnium Sæculorum.*

73 *Quid eſt Eccleſia, niſi cœtus Filiorum Dei manentium in ejus ſinu, adoptatorum in Chriſto, ſubſiſtentium in ejus perſona, redemptorum ejus ſanguine, viventium ejus ſpiritu, agentium per ejus gratiam, & expectantium gratiam futuri Sæculi?*

74 *Eccleſia, ſive integer Chriſtus, Incarnatum Verbum habet ut Caput, omnes verò Sanctos ut membra.*

75 *Eccleſia eſt unus ſolus homo, compoſitus ex pluribus membris, quorum Chriſtus eſt Caput, vita, ſubſiſtentia, & perſona; Unus ſolus Chriſtus, compoſitus ex pluribus Sanctis, quorum eſt Sanctificator.*

76 *Nihil ſpatioſius Eccleſia Dei, quia omnes Electi, & Juſti omnium Sæculorum illam componunt.*

77 *Qui non ducit vitam dignam Filio Dei, & membro Chriſti, ceſſat interius habere Deum pro Patre, & Chriſtum pro Capite.*

78 *Separatur quis à Populo Electo, cujus figura fuit Populus Judaicus, & Caput eſt Jeſus Chriſtus, tam non vivendo ſe-*

ſecundum Euangelium , quàm non credendo Euangelio .

79 *Utile , & neceſſarium eſt omni tempore , omni loco , & omni perſonarum generi ſtudere , & cognoſcere ſpiritum , pietatem , & myſteria ſacræ Scripturæ .*

80 *Lectio ſacræ Scripturæ eſt pro omnibus .*

81 *Obſcuritas Sanctæ verbi Dei non eſt Laicis ratio diſpenſandi ſe ipſos ab ejus lectione .*

82 *Dies Dominicus à Chriſtianis debet ſanctificari lectionibus pietatis , & ſuper omnia Sanctarum Scripturarum . Damnoſum eſt velle Chriſtianum ab hac lectione retrahere .*

83 *Eſt illuſio ſibi perſuadere , quod notitia Myſteriorum Religionis non debeat communicari fœminis , lectione ſacrorum Librorum . Non ex fœminarum ſimplicitate , ſed ex ſuperba virorum ſcientia , ortus eſt ſcripturarum abuſus , & natæ ſunt hæreſes .*

84 *Abripere e Chriſtianorum manibus novum Teſtamentum , ſeu eis illud clauſum tenere , auferendo eis modum illud intelligendi , eſt illis Chriſti os obturare .*

85 *Interdicere Chriſtianis lectionem Sacræ Scripturæ , præſertim Euangelii , eſt interdicere uſum luminis filiis lucis , & facere ut patiantur ſpeciem quamdam excommunicationis .*

86 *Eripere ſimplici Populo hoc ſolatium , jungendi vocem ſuam voci totius Eccleſiæ , eſt uſus contrarius praxi Apoſtolicæ , & intentioni Dei .*

87 *Modus plenus ſapientiæ , luminæ , & charitate , eſt dare animabus tempus portandi cum humilitate , & ſentiendi ſtatum peccati , petendi ſpiritum pœnitentiæ , & contritionis , & incipiendi , adminus , ſatisfacere Juſtitiæ Dei , antequam reconcilientur .*

88 *Ignoramus quid ſit peccatum , & vera pœnitentia , quando volumus ſtatim reſtitui poſſeſſioni bonorum illorum , quibus nos peccatum ſpoliavit , & detrectamus ſeparationis iſtius ferre confuſionem .*

89 *Quar-*

89 *Quartus decimus gradus converſionis Peccatoris eſt, quod, cum ſit jam reconciliatus, habet jus aſſiſtendi Sacrificio Eccleſiæ.*

90 *Eccleſia authoritatem excommunicandi habet, ut eam exerceat per primos Paſtores de conſenſu, ſaltem præſumpto, totius Corporis.*

91 *Excommunicationis injuſtæ metus nunquam debet nos impedire ab implendo debito noſtro. Nunquam eximus ab Eccleſia, etiam quando hominum nequitia, videmur ab ea expulſi, quando Deo, Jeſu Chriſto, atque ipſi Eccleſiæ per Charitatem affixi ſumus.*

92 *Pati potius in pace excommunicationem, & anathema injuſtum, quam prodere veritatem, eſt imitari Sanctum Paulum: tantum abeſt, ut ſit erigere ſe contra Authoritatem, aut ſcindere unitatem.*

93 *Jeſus quandoque ſanat vulnera, quæ præceps Primorum Paſtorum feſtinatio infligit, ſine ipſius mandato; Jeſus reſtituit, quod ipſi inconſiderato Zelo reſcindunt.*

94 *Nihil pejorem de Eccleſia opinionem ingerit ejus inimicis, quàm videre illic dominatum exerceri ſupra fidem fidelium, & foveri diviſiones propter res, quæ nec fidem lædunt, nec mores.*

95 *Veritates eo devenerunt, ut ſint lingua quaſi peregrina pleriſque Chriſtianis, & modus eas prædicandi eſt veluti idioma incognitum; adeo remotus eſt à ſimplicitate Apoſtolorum, & ſupra communem captum fidelium; Neque ſatis advertitur, quod hic defectus ſit unum ex ſignis maxime ſenſibilibus ſenectutis Eccleſiæ, & iræ Dei in Filios ſuos.*

96 *Deus permittit, ut omnes Poteſtates ſint contrariæ Prædicatoribus veritatis, ut ejus victoria attribui non poſſit, niſi Divinæ gratiæ.*

97 *Nimis ſæpè contingit, membra illa, quæ magis ſanctè, ac magis ſtrictè unita Eccleſiæ ſunt, reſpici, atque tracta-*

ri

ri tanquam indigna, ut ſint in Eccleſia, vel tanquam ab ea ſeparata; ſed Juſtus vivit ex fide, & non ex opinione hominum.

98 *Status perſecutionis, & pœnarum, quas quis tolerat, tanquam Hæreticus, flagitioſus, & impius, ultima plerumque probatio eſt, & maxime meritoria, utpote quæ facit hominem magis conformem Jeſu Chriſto.*

99 *Pervicacia, præventio, obſtinatio in nolendo, aut aliquid examinare, aut agnoſcere ſe fuiſſe deceptum, mutant quotidie quoad multos in odorem mortis id, quod Deus in ſua Eccleſia poſuit, ut in ea eſſet odor vitæ, v. g. bonos libros, inſtructiones, ſancta exempla, &c.*

100 *Tempus deplorabile, quo creditur honorari Deus, perſequendo veritatem, ejuſque diſcipulos, Tempus hoc advenit....... Haberi, & tractari à Religionis Miniſtris, tanquam impium, & indignum omni commercio cum Deo, tanquam membrum putridum, capax corrumpendi omnia in ſocietate Sanctorum, eſt hominibus piis morte corporis mors terribilior. Fruſtra quis ſibi blanditur de ſuarum intentionum puritate, & zelo quodam Religionis, perſequendo flamma, ferroque viros probos, ſi propria paſſione eſt excæcatus, aut abreptus aliena, propterea quod nihil vult examinare. Frequenter credimus ſacrificare Deo Impium, & ſacrificamus Diabolo Dei Servum.*

101 *Nihil ſpiritui Dei, & doctrinæ Jeſu Chriſti magis opponitur, quam communia facere juramenta in Eccleſia, quia hoc eſt multiplicare occaſiones pejerandi, laqueos tendere infirmis, & idiotis, & efficere, ut nomen, & veritas Dei aliquando deſerviant conſilio Impiorum.*

Auditis itaque tum voce, tum ſcripto Nobis exhibitis præfatorum Cardinalium, aliorumque Theologorum ſuffragiis, divinique in primis luminis, privatis ad eum finem, publi-

publiciſque etiam indictis precibus, implorato præſidio; omnes, & ſingulas Propoſitiones præinſertas, tanquam falſas, & captioſas, malè ſonantes, piarum aurium offenſivas, ſcandaloſas, pernicioſas, temerarias, Eccleſiæ, & ejus praxi injurioſas, neque in Eccleſiam ſolum, ſed etiam in Poteſtates ſæculi contumelioſas, ſeditioſas, impias, blaſphemas, ſuſpectas de hæreſi, ac hæreſim ipſam ſapientes, necnon hæreticis, & hæreſibus, ac etiam ſchiſmati faventes, erroneas, hæreſi proximas, pluries damnatas, ac demum etiam hæreticas, variaſque hæreſes, & potiſſimùm illas, quæ in famoſis Janſenii Propoſitionibus, & quidem in eo ſenſu, in quo hæ damnatæ fuerunt, acceptis, continentur, manifeſtè innovantes, reſpectivè, hac noſtra perpetuò valitura Conſtitutione declaramus, damnamus, & reprobamus.

Mandantes omnibus utriuſque ſexus Chriſtifidelibus, ne de dictis Propoſitionibus ſentire, docere, prædicare aliter præſumant, quàm in hac eadem Noſtra Conſtitutione continetur; ita ut quicumque illas, vel illarum aliquam conjunctim, vel diviſim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis, etiam diſputativè, publicè, aut privatim tractaverit, niſi forſan impugnando, Eccleſiaſticis cenſuris, aliiſque contra ſimilia perpetrantes à Jure ſtatutis pœnis ipſo facto, abſque alia declaratione, ſubjaceat.

Cæterum per expreſſam præfatarum Propoſitionum reprobationem alia in eodem Libro contenta nullatenus approbare intendimus; cum præſertim in decurſu examinis complures alias in eo deprehenderimus Propoſitiones illis, quæ, ut ſupra, damnatæ fuerunt, conſimiles, & affines, iiſdemque erroribus imbutas: nec ſanè paucas ſub imaginario quodam, veluti graſſantis hodie perſecutionis obtentu, inobedientiam, & pervicaciam nutrientes, eaſque falſo Chriſtianæ patientiæ nomine prædicantes; quas propterea ſingulatim recenſere, & nimis longum eſſe duximus, & minimè neceſſarium; ac demum, quod intolerabilius eſt, Sacrum

ipſum

ipſum Novi Teſtamenti Textum damnabiliter vitiatum comperterimus, & alteri dudum reprobatæ verſioni Gallicæ Montenſi in multis conformem : à vulgata verò editione, quæ tot Sæculorum uſu in Eccleſia probata eſt, atque ab Orthodoxis omnibus pro authentica haberi debet, multipliciter diſcrepantem, & aberrantem, pluriesque in alienos, exoticos, ac ſæpè noxios ſenſus, non ſine maxima perverſitate detortum.

Eumdem propterea Librum, utpotè per dulces ſermones, & benedictiones, ut Apoſtolus loquitur, hoc eſt, ſub falſa piæ inſtitutionis imagine, ſeducendis Innocentium cordibus longè accommodatum, ſive præmiſſis, ſive alio quovis titulo inſcriptum, ubicumque, & quocumque alio idiomate, ſeu quavis editione, aut verſione hactenus impreſſum, aut in poſterum (quod abſit) imprimendum, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium iterum prohibemus, ac ſimiliter damnamus; quemadmodum etiam alios omnes, & ſingulos in ejus defenſionem tam ſcripto, quàm typis editos, ſeu forſan (quod Deus avertat) edendos libros, ſeu libellos, eorumque lectionem, deſcriptionem, retentionem, & uſum omnibus, & ſingulis Chriſtifidelibus ſub pœna excommunicationis per contrafacientes ipſo facto incurrenda, prohibemus pariter, & interdicimus.

Præcipimus inſuper Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, aliiſque locorum Ordinariis; necnon hæreticæ pravitatis Inquiſitoribus, ut contradictores, & rebelles quoſcumque per cenſuras, & pœnas præfatas, aliaque Juris, & facti remedia, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit; brachii ſæcularis auxilio, omninò coerceant, & compellant.

Volumus autem, ut earumdem præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem fides prorſus adhibeatur, quæ ipſis originalibus

bus literis adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.
Nulli ergo hominum liceat hanc paginam noſtræ declarationis, damnationis, mandati, prohibitionis, & interdictionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo ſeptingenteſimo decimo tertio, ſexto Idus Septembris, Pontificatus Noſtri Anno Decimotertio.

I. Card. Prodatarius.

F. Oliverius.

Viſa de Curia L. Sergardus.

Loco ✠ Plumbi.

Regiſtrata in Secretaria Brevium.

L. Martinettus.

Anno à Nativitate Domini Noſtri Jeſu Chriſti milleſimo ſeptingenteſimo decimo tertio, Indictione ſexta, die verò decima Septembris, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini Noſtri Domini Clementis Divina Providentia Papæ XI. Anno decimotertio ſupradictæ Literæ Apoſtolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad Valvas Eccleſiæ Lateranen., & Baſilicæ Principis Apoſtolorum, Cancellariæ Apoſtolicæ, Curiæ Generalis in Monte Citatorio, in Acie Campi Floræ, ac in aliis locis ſolitis, & conſuetis Urbis per me Petrum Romulatium Apoſtolicum Curſorem.

Antonius Placentinus Magiſter Curſorum.

PRO-

PROPOSITIO I.

Quid aliud remanet animæ, quæ Deum, atque ipſius gratiam amiſit, niſi peccatum, & peccati conſecutiones, ſuperba paupertas, & ſegnis indigentia, hoc eſt generalis impotentia ad laborem, ad orationem, & ad omne opus bonum?

Ità Queſnellus Lucæ cap. 16. num. 3. in editione 1693. & 1699.

AMicè, placidèque loquamur Queſnelle chariſſime, vacuis animis, & ſine ira, quæ ſemper eſt inimica conſilio, agamus, licet multis rebus diffideamus. Graviter enim quoſdam, moleſtèque fero, qui ita ſcribunt, ut conentur eos, à quibus diſcrepant, maledictis, & argumentis ab errore avertere: Dum iſti alios docent quid faciendum, fugiendumve ſit; obliviſcuntur ſane interea longius ſe, quàm natura recti, ac ſapientiæ modus poſtulat, eſſe digreſſos, nec ſatis mihi videntur noſse quanta ſit vis veritatis, quæ contra hominum ingenia, calliditatemque facile ſe per ſeipſam defendit. Quibus enim in Oppugnatorum ſuorum libris demonſtrationes veri, atque convicia, ratiocinationes, & contumeliæ paſſim occurrunt; iiſdem profecto inceſſit ſtatim non cupido rationes contrarias perpendendi, ſed libido convicia conviciis crebrioribus, & injurias injuriis acerbioribus ulciſcendi. Apage tam ſplendidæ diſputationis genus. Equidem errores tuos vehementer pro virili parte inſectabor, tecum verò benevolè auctoritatibus tibi multo jucundiſſimis pugnare pergam, non ut ego ex argilla, & luto fictus homuncio, ſed ut divina Fidei gratia

de utroque triumphet, de me quidem, ſuppeditando quid præbeam, de Te verò, ſuggerendo quid haurias.

Jamque abs Te (ut primas jactem haſtas) audire cupio quem ad finem generatim, atque indefinitè pronunciaveris *Animæ, quæ Deum, atque ipſius gratiam amiſit, NIL ALIUD REMANERE NISI PECCATUM, & peccati conſecutiones, ſuperbam paupertatem, & ſegnem indigentiam, hoc eſt generalem impotentiam ad laborem, ad orationem, & ad omne opus bonum.* Non ne animadvertis hac Te in re labi turpiſſime, quod ſentias Peccatori cuilibet *nihil aliud remanere, niſi peccatum?* Cum Peccatori Catholico gratiæ ſanctificantis experti, qui non infidelitatis crimine, ſed aliis ſceleribus animum deturpaverit; vera Theologica Fides remaneat, uti clare definit Generalis Tridentina Synodus in eam ſententiam: *Si quis dixerit amiſſa per peccatum gratia* (a) *ſimul & fidem ſemper amitti, aut fidem, quæ remanet, non eſſe veram fidem, licet non ſit viva, aut eum qui fidem ſine charitate habet, non eſſe Chriſtianum; anathema ſit.*

Rurſus idem Concilium ita declarat: *Illam verò contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex geenna, & pœnarum metu communiter concipitur, ſi voluntatem peccandi excludat* (b) *cum ſpe venię, declarat non ſolum non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, verum etiam donum Dei eſſe, & Spiritus Sancti impulſum non adhuc quidem inhabitantis, ſed tantum moventis; quo pœnitens adjutus viam ſibi ad juſtitiam parat, & quamvis ſine Sacramento Pœnitentiæ per ſe ad juſtificationem perducere Peccatorem nequeat; tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandum diſponit.*

E ſententia itaque Tridentinæ Synodi Peccator poteſt ſine ſanctificante gratia, & ſine charitate actum moraliter bonum, ac ſupernaturalem attritionis elicere; qui certè quidem *eſt donum Dei, & Spiritus Sancti impulſus non adhuc* qui-

(a) *Seſſ. 6. can. 28.* (b) *Seſſ. 14. c. 4. de Pœnit.*

quidem inhabitantis, ſed tantum moventis. Cum verò actus attritionis *donum Dei ſit*; bonus utique moraliter, honeſtuſque ſit oportet: cum *ſit Spiritus Sancti impulſus non adhuc quidem inhabitantis*; certè non ex ſanctificante gratia, neque ex charitate promanat: quia ubi charitas, & gratia ſanctificans adeſt; ibi quoque Spiritus Sanctus inhabitat. Falſum igitur eſt quod Queſnellus aſſerit, Peccatori nil aliud remanere, niſi pèccatum.

Cum verò generatim, ſimpliciterque affirmare non dubites Queſnelle, *Peccatori ad laborem, ad orationem, & ad omne opus bonum generalem impotentiam remanere*; antecedentem ſanè impotentiam phyſicam ad omne opus bonum, quod ad æternam ſalutem pertinet, intelligas neceſſe eſt; uti rem penitus ad unum omnes cognoſcere poterunt; ſi vim ſecundæ propoſitionis tuę, naturamque perpenderint; cujus profectò hæc eſt Sententia: *Jeſu Chriſti gratia principium efficax boni cujuſcumque generis neceſſaria eſt ad omne opus bonum, abſque illa non ſolum nihil fit, ſed nec fieri poteſt*.

Cum autem peccator e Sententia tua careat hujuſmodi gratia (alioquin ſi ea utpote principio efficaci boni cujuſcumque generis frueretur, rectè utique, ſicut oportet, ageret) ſine quà unicè juxta te non poteſt opus, quod àd ſalutem ſpectat, efficere, & quam non eſt in ejus poteſtate pro re, ac tempore, cum velit, in promptu habere, vel impetrare; ſequitur illico e Sententia tua ut antecedens impotentia phyſica ad opus, quod ad ſalutem attinet, Peccatori remaneat. Jamque manifeſtò pugnas cum Tridentina Synodo generali, quæ ore pleno, ac generatim ita definit: *Deus impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet* (a) *& facere quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adjuvat ut poſſis, cujus mandata gravia non ſunt, cujus jugum ſuave eſt, & onus leve*.

Quid? quod manifeſtò refragaris Sancto Auguſtino, ac

 Divo

(a) *Seſſ. 6. cap. 11.*

Divo Thomę, quos Patronos fallaciſſimè venditas, & oſtentas. Auguſtinus enim brevi hac, robuſtaque Sententia te perdit, ac magnificè affligit: *firmiſſimè* (inquit) *creditur Deum juſtum, & bonum* (a) *impoſſibilia non potuiſſe præcipere*.

Divus verò Thomas ſuam ità auream Sententiam aperit: *Homines quandiu vivunt, poſſunt ad fidem* (b) *& charitatem converti, quia in hac vita non ſunt homines confirmati in bono, vel malo, ſicut poſt exitum ab hac vita*.

Præterea cum generatim, ſimpliciterque aſſeveres generalem animæ, quæ Deum amiſit, impotentiam remanere ad laborem, ad orationem, & ad omne opus bonum: opus quoque moraliter bonum univerſali hac propoſitione complectaris neceſſe eſt. Hujuſmodi autem impotentiam ad opus moraliter bonum antecedentem, ac phyſicam eſſe ſatis conſtat tum ex propoſitione 45, quæ aſſerit; *Amore Dei in corde Peccatorum non amplius regnante neceſſe eſſe, ut in eo carnalis regnet cupiditas, omneſque actiones ejus corrumpat*: tum ex propoſitione 46. *cupiditas, aut charitas uſum ſenſuum bonum, vel malum faciunt*.

Cum autem Peccator e tua, noſtraque Sententia, ſanctificante gratia, ac proinde charitate denudatus ſit; ſine qua juxta Te *omnes actiones corrumpantur neceſſe eſt, uſuſque ſenſuum malus fiat*: ſequitur illicò ex tua ſententia Peccatorem non poſſe ullum omnino opus moraliter bonum patrare; ideoque Peccatori antecedentem impotentiam phyſicam ad opera moraliter bona remanere.

Verum enim verò manifeſtò pugnas cum Divina Scriptura, cum Sancto Auguſtino, ac Divo Thoma, qui una, eademque voce prædicant Peccatorem non ſolum efficere poſſe, ſed re ipſa crebrò opera moraliter bona quidem, honeſtaque patrare.

Daniel quippe ſceleſtum Regem, Idolorumque cultorem Nabuchodonoſor ad eleemoſynas erogandas excitat his verbis:

(a) *Lib. de natura, & gratia cap.69.* (b) *Par.3. Summa Qu: 52. art.6. ad 3.*

bis: *Rex conſilium* (a) *meum placeat tibi, & peccata tua eleemoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordiis pauperum.*

S. Auguſtinus epiſtola quinta ad Marcellinum dicit: *Rempublicam primi Romani conſtituerunt, auxeruntque virtutibus, & ſi non habentes veram pietatem erga Deum verum, quæ jam illos in æternam Civitatem poſſet ſalubri religione perducere.*

Hoc ſanè loco Auguſtinus Romanis virtutes morales tribuit.

Divus tandem Thomas 2.2. q.83. artic. 16. quærens *utrum Peccatores orando impetrent aliquid à Deo*: ſic ſentit; *Reſpondeo dicendum quod in Peccatore duo ſunt conſideranda, ſcilicet natura, quam diligit Deus, & culpa, quam odit. Si ergo Peccator orando, aliquid petit in quantum Peccator, ideſt ſecundum deſiderium peccati; in hoc à Deo non auditur ex miſericordia. Orationem verò Peccatoris ex bono naturæ deſiderio procedentem Deus audit non quaſi ex Juſtitia, quia Peccator hoc non meretur; ſed ex pura Miſericordia, obſervatis tamen quatuor præmiſſis conditionibus, ut ſcilicet pro ſe petat, neceſſaria ad ſalutem, piè, & perſeveranter.*

Hoc autem firmiſſimo, clariſſimoque teſtimonio ad refellendum, & elinguem Queſnellum reddendum nihil præſtantius excogitari unquam poteſt.

(a) *Daniel. cap.4.*

PROPOSITIO II.

Jeſu Chriſti gratia principium efficax boni cujuſcumque generis neceſsaria eſt ad omne opus bonum, abſque illa non ſolum nihil fit, ſed nec fieri poteſt.

Ità Queſnellus Joan. cap 5. *n.* 5. *in editione* 1693.

CUm in decima propoſitione Queſnellus aſſerat *gratiam eſſe operationem manus Omnipotentis Dei, quam nihil impedire poteſt, aut retardare*, atque ob eam cauſam putet efficacem gratiam humanæ voluntati neceſſitatem imponere; cumque in hac ſecunda nullam prorſus aliam, niſi ſolam efficacem gratiam probet, *ſine qua nihil boni fieri poſſe definit*: Liberum arbitrium (quod ad opera meritoria vitæ æternæ ſpectat) extinguatur neceſſe eſt: Extinguitur enim, quando gratia efficaci caret, ſine qua ſola juxtà Queſnellum nihil boni facere poteſt, & quam habere, cum velit, nequaquam poteſt: extinguitur etiam, quando illam habet, quippe quæ illud neceſſitate ad actum bonum affigat.

Semper igitur Queſnellus liberum extinguit arbitrium, ideòque ſubjectus eſt anathemati Tridentinæ Synodi generalis definientis in eam Sententiam: *ſi quis liberum hominis arbitrium poſt Adæ peccatum* (*a*) *amiſſum, & extinctum eſſe dixerit, aut rem eſſe de ſolo titulo, imo titulum ſine re, anathema ſit.*

Dum Queſnellus aſſerit *Jeſu Chriſti gratiam principium efficax boni cujuſcumque generis neceſſariam eſſe ad omne opus bonum, ſine qua non ſolum nihil fit, ſed nec fieri poteſt*; efficacem duntaxat gratiam comprobat, ſufficientem verò mordicus pernegat: Propterea manifeſtò Conciliis refràgatur, præ-

(a) *Seſſ.6. can.5.*

præſertim verò Generali Synodo Tridentinæ ità definienti: *Si quis dixerit eum, qui poſt* (*a*) *baptiſmum lapſus eſt, non poſſe per Dei gratiam reſurgere, anathema ſit*.

Et tamen plurimi poſt baptiſmum lapſi, minimè reſurrexerunt. Hinc patet illos habuiſſe auxilium ſufficientis gratiæ, qua potuiſſent reſurgere, ſi voluiſſent: quia verò re ipſa nequaquam reſurrexerunt; efficaci utique gratia caruerunt. Concilium igitur Tridentinum non ſolum efficacem gratiam, ſed ſufficientem etiam comprobat.

Concilium OEcumenicum Lateranenſe ſub Innocentio III. celebratum Capite 1. *firmiter* &c. ità pronunciat: *ſi poſt ſuſceptionem Baptiſmi quiſquam prolapſus fuerit in peccatum, per veram pœnitentiam ſemper poteſt reparari*.

Omnes ad unum ſine controverſia poſt Baptiſmum relapſos Concilium comprehendit, omnibuſque illis tum re ipſa pœnitentiam agentibus, tum non agentibus poteſtatem veræ agendæ pœnitentiæ, aſcribit. At poteſtas veræ agendæ pęnitentiæ ſine gratiæ auxilio nequit conſiſtere, ut definit Synodus Tridentina Seſſ. 6. can. 3. Ergo etiam qui re ipſa pęnitentiam non agit, habet eam gratiam, qua poſſit, ſi velit, pęnitentiam agere: quæ quidem gratia non eſt efficax, ſed ſufficiens profectò habenda.

Concilium Arauſicanum ſecundum, quod tum Sedes Apoſtolica confirmavit, tum univerſa veneratur Eccleſia, ſic decernit: *Hoc etiam ſecundum Fidem Catholicam credimus quod accepta per Baptiſmum gratia, omnes Baptizati, Chriſto auxiliante, & cooperante, quæ ad ſalutem pertinent, poſſint, & debeant, ſi fideliter laborare voluerint, adimplere. Deus* (*b*) *nobis, & fidem, & amorem ſui prius inſpirat, ut & Baptiſmi Sacramenta fideliter requiramus, & poſt Baptiſmum cum ipſius adjutorio ea, quæ ſibi ſunt placita, implere poſſimus*.

Ecce tibi Divinæ gratiæ inſpiratio, & adjutorium, quo bapti-

(a) *Seſſ. 6. can. 28.* (b) *Can. 25.*

baptizati omnes, quæ ſunt Deo placita, implere poſſunt: plures tamen ea nequaquam implent, quia nolunt. Ergo iſtis non gratia efficax, ſed ſufficiens adeſt, qua Divina mandata efficere poſſint, licet re ipſa nolint illa efficere.

Summus Pontifex Alexander Octavus damnavit, & univerſa Eccleſia reprobavit hanc Theſim: *Gratia ſufficiens ſtatui noſtro non tam utilis, quàm pernicioſa eſt, ſic, ut proindè meritò poſſimus petere: à gratia ſufficiente libera nos Domine.*

Univerſa ergo Eccleſia contra tuam Queſnelle opinionem, ſufficientem gratiam comprobat, eamque ſtatui noſtro eſſe utilem profitetur.

Jam verò palmarem adeò Janſenii, nec non Queſnelli errorem operæ prętium eſt graviſſimis quoque Sacræ Scripturæ, clariſſimiſque teſtimoniis redarguere. Teſtis eſt Beatus Paulus qui cap. 2. ad Roman. ità loquitur: *an divitias bonitatis ejus, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? ſecundum autem duritiam tuam, & impœnitens cor, theſaurizas tibi iram in die iræ, & revelationis juſti judicii Dei.*

Nequaquam verò Dei benignitas ad pœnitentiam ſine gratię interioris auxilio adducit, quemadmodum fide certum, ratumque eſt, ac definitum contra Pelagianos; & tamen Deo per gratiam ad pęnitantiam adducenti ſæpe reſiſtunt ij, qui ſpreta Dei benignitate, *ſecundum duritiam ſuam, & impęnitens cor theſaurizant ſibi iram in die iræ.* Hæc autem gratia non eſt efficax: ergo eſt ſufficiens.

Salomon proverb. 1. *vocavi, & renuiſtis, extendi manum meam, & non fuit, qui aſpiceret*; & Iſaiæ cap. 65. *vocavi, & non reſpondiſtis: locutus ſum, & non audiſtis: & faciebatis malum in oculis meis, & quæ nolui, elegiſtis*: & Jeremiæ 7. *vocavi vos, & non reſpondiſtis.*

Quæ cum ita ſint: dicas mihi, velim, Queſnelle: vel vocavit Dominus, gratiam largiendo, vel non largiendo.

Si

Digitized by Google

Si primum: cùm ergo illi nequaquam reſponderint: Gratia, qua ſunt vocati, non fuit efficax, ſed ſufficiens, quam tu contra Conciliorum, ac Sacræ Scripturæ conſtantem Sententiam denegas. Si ſecundum. Ergo illi reſpondere minime potuerunt, quòd carerent ea gratia, ſine qua reſpondere non poſſent; atque hinc ſequeretur injuſtè Deum, ineptèque de ipſis conqueri: Quæ quidem labes in bonitatem Dei, majeſtatemque minime cadit.

Coronidem tandem Sanctus Auguſtinus, ac Divus Thomas imponant. Sanctus enim Auguſtinus lib. de Gratia Chriſti cap. 47. tam clare, & ſufficientem gratiam, & efficacem prædicat, ut nihil illuſtrius excogitari poſſit: *Si ergo conſenſerit nobis* (Pelagius) *Non ſolam poſſibilitatem in homine, etiamſi nec velit, nec agat benè, ſed ipſam quoque voluntatem, & actionem, ideſt, ut benè velimus, & benè agamus, quæ non ſunt in homine, niſi quando benè vult, & benè agit: ſi ut dixi, conſenſerit etiam ipſam voluntatem, & actionem divinitus adjuvari, ut ſine illo adjutorio nihil bene velimus, & agamus, eamque eſſe gratiam Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, in qua nos ſua, non noſtra juſtitia juſtos facit, ut ea ſit vera noſtra Juſtitia, quæ nobis ab illo eſt; nihil de adjutorio gratiæ Dei, quantum arbitror, inter nos controverſia relinquetur.* Hoc ſanè loco Auguſtinus, & gratiam poſſibilitatis, qua poteſt homo benè agere, etiamſi nec velit, nec agat benè; quæ quidem eſt gratia ſufficiens; & gratiam actionis, qua homo benè vult, & benè agit, quæ quidem eſt efficax gratia, ità dilucidè indicat, ut nihil loci cavillationibus, ac ſophiſmatis relinquatur.

Divus autem Thomas ità clare ſufficientem gratiam probat, atque confirmat, ut Janſenium, & Queſnellum elingues reddat in eam Sententiam. *Dicendum quod gratia novi Teſtamenti, & ſi adjuvet hominem ad non peccandum, non tamen ità confirmat in bono, ut homo peccare non poſſit: hoc enim pertinet ad ſtatum gloriæ, & ideo ſi quis poſt acceptam*

(a) gra-

(*a*) *gratiam novi Teſtamenti peccaverit, majori pœna eſt dignus, tamquam majoribus beneficiis ingratus, & auxilio ſibi dato non utens. Nec tamen propter hoc dicitur, quòd lex nova iram operatur, quia quantum eſt de ſe, ſufficiens auxilium dat ad non peccandum.*

E Sententia Divi Thomæ Deus quantum eſt de ſe *ſufficiens auxilium dat ad non peccandum*. Sed qui peccat *non utitur hoc auxilio, quod illi datur ad non peccandum*. E Sententia igitur tanti Doctoris hoc auxilium non eſt efficax, quod à nullo corde reſpuitur: ergo eſt ſufficiens, cui liberè humanum arbitrium refragatur.

Rurſus idem Sacer Doctor ità: *Conſiderandum eſt, quod licet aliquis per motum liberi arbitrii Divinam gratiam* (*b*) *nec promereri, nec acquirere poſſit, poteſt tamen ſe ipſum impedire, ne eam recipiat: dicitur enim de quibuſdam Job. 21. dixerunt Deo: recede à nobis, & ſcientiam viarum tuarum nolumus, & Job. 24. ipſi fuerunt rebelles lumini; Et cùm hoc ſit in poteſtate liberi arbitrii, impedire Divinæ gratiæ receptionem, vel non impedire; non immeritò in culpam imputatur ei, qui impedimentum præſtat Gratiæ receptioni; Deus enim quantum in ſe eſt, paratus eſt omnibus gratiam dare, vult enim omnes homines ſalvos fieri, & ad cognitionem veritatis venire; ut dicitur prima ad Timoth. 2. ſed illi ſoli gratia privantur, qui in ſe ipſis gratiæ impedimentum præſtant: ſicut Sole Mundum illuminante in culpam imputatur ei, qui oculos claudit, ſi ex hoc aliquod malum ſequatur: licet videre non poſſit, niſi lumine Solis præveniatur.*

PRO-

(a) 1.2. Q.106. *art.*2. *ad* 2. (b) *Lib.* 3. *contra Gentiles cap.*159.

PROPOSITIO III.

In vanum Domine præcipis, ſi tu ipſe non das, quod præcipis.

Ità Queſnellus Act. 16. *n.*10. *in editione* 1693. *&* 1699.

SAtis conſtat Peccatori quoque, qui minime reſipiſcit, Deum præcipere pœnitentiam effato illo irrevocabili: *pœnitentiam* (*a*) *agite;* nec tamen eidem ipſi gratiam efficacem largiri: ſequitur ergo illico, e Sententia Queſnelle tua in vanum Peccatori hujuſmodi, & impoſſibilia præcipi, quippe cui gratia efficax denegatur, *ſine qua non ſolum nihil fieri, ſed nec fieri poſſe*, in ſecunda tua propoſitione definis, eamque ſolam ſic approbas, ut ſufficientem gratiam reſpuas. Jam ne vides, jam ne ſentis quam miſere refrageris generali Synodo Tridentinæ? quæ ſic declarat, ac ſentit: *Deus impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet, & facere* (*b*) *quod poſſis, & petere quod non poſſis: & adjuvat ut poſſis, cujus mandata gravia non ſunt, cujus jugum ſuave eſt, & onus leve.*

Quid? quod turpiter cum Beato Auguſtino, quem Magiſtrum immerito venditas, pugnare non deſinis. En præclara ejuſdem Sententia: *Nec imperaret hoc Deus, ut faceremus, ſi impoſſibile eſſe judicaret,* (*c*) *ut hoc ab homine fieret. Si conſiderans infirmitatem tuam deficis ſub præcepto, confortare in exemplo; ſed etiam exemplum ad te multum eſt; Adeſt ille, qui præbuit exemplum, ut præbeat, & auxilium.*

Rurſus idem Sacer Doctor ità Peccatores coarguit. *Nequiſquam neget voluntatis arbitrium, & audeat excuſare peccatum,* (*d*) *ſed audiamus Dominum, & præcipientem, & opitulantem,*

(a) *Mat.*3. (b) *Seſſ.*6. *c.*11. (c) *Enarratione in Pſ.*56. (d) *Tract.*53. *in c.*12. *Joa.*

tem, *& jubentem quid facere debeamus*, *& adjuvantem*, *ut implere poſſimus*.

Ne igitur Peccator excuſet peccatum, neve præceptum Domini tanquam vanum accuſet, quod efficaci gratia careat; cum illum ex Auguſtini Sententia Deus adjuvet, gratia videlicet ſufficienti, ut poſſit, quod præcipitur, implere.

Idem inſuper Auguſtinus brevi hac Sententia labefactat Queſnellum: *Homo gratia* (a) *juvatur*, *ne ſine cauſa voluntati ejus jubeatur*.

Sed Peccator etiam qui non reſipiſcit, & gratia efficaci caret, à Deo jubetur agere pœnitentiam; Ergo juvatur gratia nempe ſufficienti, qua converti poſſit, ne ſine cauſa voluntati ejus jubeatur, neve in vanum præcipiatur.

Sanctus denique Thomas imponat coronidem in eam Sententiam. *Tertia* (inquit) *quæſtio eſt de hoc quod dicit* (*Chriſtus*) *quod nemo venire poteſt*, *niſi tractus à Patre*; *quia ſecundum hoc*, *ſi nullus veniat ad Chriſtum*, *non imputatur ei*, *ſed ei*, *qui non trahit eos*; *Reſpondeo dicendum*, *quod verè nullus venire poteſt*, *niſi tractus à Patre*. *Nam ſicut grave per naturam non poteſt per ſe ſurſum ferri*, *niſi trahatur ab alio*, *ita cor humanum ex ſe ad inferiora tendens*, *non poteſt ſurſum elevari*, *niſi tractum*. *Si verò* (b) *non elevatur*, *non eſt defectus ex parte trahentis*, *qui quantum in ſe eſt*, *nulli deficit*, *ſed eſt propter impedimentum ejus*, *qui non trahitur*.

Quid? quod ſecunda, ac tertia propoſitio habenas humani generis conſcientiæ audacter, impudenterque peccandi laxant, cum ſecunda gratiam ſufficientem abjudicet, ac reijciat, efficacem verò duntaxat approbet, *ſine qua non ſolum nihil fieri*, *ſed nec fieri poſſe definit*; tertia verò ſtatuat vanum eſſe ſine hac efficaci gratia divinum Præceptum. Propterea ſi quis Janſenianus, ſeu Queſnellianus in ſtupro fuerit, vel adulterio deprehenſus; facinus extemplo purgabit, ac facile reſpondebit ſe caruiſſe gratia efficaci, quam in

(a) *De gratia*, *& libero arbit. cap.4.* (b) *in cap.6. Joa. lect.5.*

in hoc ſtatu naturæ lapſæ unicam reputat, & ſine qua neque caſtitatem poſſe, nec cætera Dei præcepta ſervari cenſet, quamque, prout libuerit, comparare nequit, atque ob eam cauſam Dominum ſine hujuſmodi gratia in vanum præcipere arbitratur. Vide quid licentiæ Queſnelle nobis tua opinio det, vel potius quid audaciæ.

Tertia demum propoſitio effingit fatuum Deum, quippe qui in vanum Peccatori, qui non convertitur, præcipiat pœnitentiam. Secunda verò injuſtitiæ notam Deo inurit, utpotè qui puniat reprobos quòd id non fecerint, quod facere non potuerunt ob defectum gratiæ efficacis, ſine qua nihil boni juxta Queſnellum facere poterant, & quam non erat in eorum poteſtate, vel in promptu habere, vel ſaltem prout libuerit, obtinere.

Quamobrem juxta ſecundam Queſnelli Theſim, ac tertiam ſine culpa reprobi puniuntur, & electi juxta decimam ejuſdem Queſnelli propoſitionem ſine merito coronantur: propterea quia fecerunt quod evitare, vel impedire minimè potuerunt, utpote quibus Janſeniana, ſeù Queſnelliana gratia neceſſitatem attulerit. Hinc pervelim Queſnelle intelligas Te de Juſtitia Dei, ac bonitate nequaquam vera ſentire. Agedum amplius oſtendamus nihil in vanum Deum unquam præcipere; licet non ſemper efficacem gratiam largiatur. Cum enim Sapientiſſimus, idemque optimus Deus ſit, nihil in vanum præcipit; utpote qui eodem tempore ſufficientem gratiam, quemadmodum in ſecundæ Theſis confutatione ſatis, ſuperque demonſtratum eſt, libero arbitrio largiatur, qua quidem illud honeſtè agere, ſicut oportet, rectèque poſſit, ſi velit. Nihil unquam Deus (mihi crede) in vanum præcipit, cum in præcepto maximè emineat omnipotens Juſtitia punientis reum, ni reſipuerit, miſericordia parcentis, ſi pœnituerit, recte ſi vixerit, juſtitia, & miſericordia coronantis.

PRO-

PROPOSITIO IV.

Ità Domine, omnia poſſibilia ſunt ei, cui omnia poſſibilia facis, eadem operando in illo.

Queſnellus Marc. 9. 22. in editione 1693. & 1699.

CONſtantienſe Generale Concilium damnavit, ac reſpuit VVicleffianam hanc propoſitionem: *Ut fidem aſſero (a) omnia quæ evenient, de neceſſitate evenient ei. Sic Paulus præſcitus non poteſt verè pœnitere, hoc eſt contritione peccatum finalis impœnitentiæ delere, vel ipſum non habere.*

Tu verò Queſnelle Theſim hujuſmodi VVicleffianam totam, quanta eſt, libenter comprobas, utpote qui ſufficientem gratiam de medio tollis, & efficacem duntaxat gratiam paſſim prædicas, ac recolis, ſine qua in ſecunda tua propoſitione non ſolum nihil fieri, ſed nec fieri poſſe dicis, ideoque in propoſitione quarta intelligis efficaci duntaxat gratia, quam ſolam probas, omnia fieri poſſibilia. Cum autem juxta Te Paulus (exempli cauſa) præſcitus gratia iſthac tua orbatus ſit; E Sententia tua profectò ſequatur neceſſe eſt Paulum præſcitum pœnitere non poſſe. Sed hanc VVicleffianam Theſim Generalis Conſtantienſis Synodus damnat; condemnat igitur ſecundam, & quartam propoſitionem tuam, quæ à VVicleffiana iſta fluxerunt.

Præterea dum affirmas *omnia poſſibilia eſſe illi, cui omnia Dominus poſſibilia facit, eadem operando in illo*: Facile oportet intelligas ſine gratia efficaci quam ſolam probas, nihil homini eſſe poſſibile, atque ob eam cauſam manifeſtò pugnas cum Sancto Auguſtino, ac Divo Thoma, qui non ſolum efficacem gratiam, qua recte liberum agit arbitrium, verum etiam ſufficientem approbant, qua benè operari hu-

mana

(a) *Seſſ.* 15.

mana poſſit voluntas, ſi velit. Sanctus enim Auguſtinus eos, qui gratiæ reſiſtunt, ſic arguit: *Cor eorum congelaſcit adverſus Deum, & fit durum* (*a*) *adverſus imbrem gratiæ ipſius, ne fructum ferat*.

Cum Auguſtinus gratiam hìc deſcribat, qua fructum meritorium æternæ vitæ cor ferre poſſit, ſi velit; interiorem utique gratiam oportet intelligat, ſine qua opus, quod ad ſalutem pertinet, effici non poſſe Pelagianis toties inculcavit.

Divus autem Thomas ſcribit, ac ſentit in eam Sententiam: *Dicunt Sancti communiter Dionyſius*, (*b*) *Auguſtinus, & Anſelmus, quod cauſa quare iſte non habet gratiam, eſt, quia ipſe noluit accipere, & non quia Deus noluit dare; quia lumen ſuum omnibus offert: quod tamen ab omnibus non percipitur*.

PROPOSITIO V.

Quando Deus non emollit cor per interiorem unctionem gratiæ ſuæ, exhortationes, & gratiæ exteriores non inſerviunt, niſi ad illud magis obdurandum.

Queſnellus Rom. 9. 18. *in editione* 1693.

NOn ego ſolum, ſed ipſe Janſenius etiam, ejuſdemque diſcipulus Queſnellus libenter fatetur in ſtatu naturæ integræ Angelis, primiſque noſtris parentibus datum à Deo fuiſſe adjutorium, *ſine quo non*, ſeu gratiam ſufficientem eo duntaxat optimo fine, ut ſalutaria efficerent ope-

ra;

(a) *In Pſal.* 124. (b) *In* 1. *Lib. Sententiar. diſtinct.* 40. *quæſt.* 4. *art.* 2.

ra; quamquam illi ſuapte culpa contra ſtudium, ac benevolentiam tàm benefici Conditoris, tàm vehementer obduraverunt.

Ad hunc planè modum in ſtatu naturæ lapſæ tàm internas, quàm externas gratias Deus benignè nobis, ac liberaliter, ſyncereque largitur, ut nos juvent, non ut ad cor noſtrum magis obdurandum inſerviant, cum nulli divina munera noceant.

Quod ſi noſtra culpa gratiis externis abutimur; non Deus, ſed noſtrum liberum duntaxat pravum juſte arguatur arbitrium. Quamquam enim prævidet Deus Peccatores ſuis gratiis abuſuros, largitur tamen illis adhuc munera ſua, *vincente* (ut inquit Chryſoſtomus) *præſcientiam bonitate*: quæ certè quidem, vel in ſceleſto Proditore Juda gratiis cumulando, exornandoque enituit ſupra quam cuiquam credibile eſt. Nemo enim unus pernegare auſus eſt unquam per vocationem ad Apoſtolatum beneficium longè præſtantiſſimum fuiſſe Judæ collatum. Quis autem recenſere poterit tot, tantaque Chriſti amoris erga Judam argumenta, præſertim verò cum Chriſtus Dominus Divinam illi Euchariſtiam porrexerit, atque oſculum dederit? Quodſi hæc omnia ad magis obdurandum Judam deſerviſſent, nequaquam profectò ea in amoris ſignum, atque benevolentiæ, ſed in pœnam, & odium Dominus præſtitiſſet. Quod certe quidem nemo dicere audebit.

Theſis ergo hujuſmodi eſt non ſolum erronea, utpote conſenſui fidelium abſona, ſed pias etiam aures vehementer offendit, quippe quæ non ſine horrore, moleſtèque audiunt dona Dei, inter quæ exteriores quoque gratiæ referuntur, ad peccatum, duritiemque Peccatoris conducere; eſt præterea in Deum blaſphema, utpote quæ rem planè divina bonitate, ac ſanctitate indignam, duritiam videlicet Peccatoris non reformidat Deo affingere; repugnat denique manifeſtè Sancto Auguſtino, ac Divo Thomæ. San-

ctus

ctus enim Auguſtinus Theſim hujuſmodi Libro de gratia Chriſti cap. 9. ità refellit: *ad hoc adjuvat lex, ut gratia requiratur*. Cum igitur *lex adjuvet*, certè gratia exterior habenda eſt; Cum ad hoc adjuvet, ut gratia interior videlicet requiratur, non inſervit profectò ad cor magis obdurandum, ut falsò noſter putat Queſnellus.

Divus autem Thomas interpretans illud Apoſtoli *propter tranſgreſſiones poſita eſt lex*: *ideſt* (inquit) *ad tranſgreſſiones cohibendas, & de hoc habetur. 1. Timoth. juſto lex non eſt poſita, ſed injuſtis. Homines malè diſpoſiti indigent retrahi à peccatis* (a) *per pœnas, & ideò quantum ad iſtos, fuit neceſſaria legis poſitio, quæ habet coarctativam virtutem*. Et paulo ante. *Eſt ergo lex primò data ad reperiendam malitiam, dum ſcilicet prohibendo peccatum, & puniendo, retrahebantur homines à peccato, & hoc tangit* (*Apoſtolus*) *dicens; propter tranſgreſſiones poſita eſt lex*; & ibidem idem explicans verba B. Pauli illa: *propter tranſgreſſiones*, ait: *primo proponit* (Paulus) *legis utilitatem, ſecundo* legis *fructum*.

Nemo eſt quin intelligat legem eſſe gratiam externam, dum per pœnas retrahit homines à peccatis; ſi lex eſt utilis, & fructum affert, ut Doctor Angelicus ſentit; certè gratia externa eſt, nec inſervit ad cor magis obdurandum, uti hallucinatur Queſnellus.

(a) *In cap. 3. ad Galat. lect. 7.*

PROPOSITIO VI.

Diſcrimen inter fœdus Judaicum, & Chriſtianum eſt, quod in illo Deus exigit fugam peccati, & implementum legis à Peccatore, relinquendo illum in ſua impotentia: in iſto verò Deus Peccatori dat quod jubet, illum ſua gratia purificando.

Queſnellus Rom. 11. 27. *in edition.* 1693. *&* 1699.

Turpiter errat in hac Theſi Queſnellus, ne dicam impiè, quòd doceat in teſtamento veteri Judæis defuiſſe gratiam ad mandata divina ſervanda, vehementerque Arauſicanæ ſecundæ Synodo, quam univerſa Eccleſia colit, repugnat. Illa enim canone 25. declarat, ſuamque Sententiam nobis aperit: *Secundum ſupraſcriptas Sanctarum Scripturarum Sententias, vel antiquorum Patrum definitiones, hoc Deo propitiante, & prædicare debemus quod per peccatum primi hominis inclinatum, & attenuatum fuerit liberum arbitrium, ut nullus poſteà, aut diligere Deum ſicut oportuit, aut credere in Deum, aut operari propter Deum, quod bonum eſt, poſſit, niſi gratia eum, & miſericordia divina prævenerit. Unde in Abel, juſtum, & Noe, & Abraham, & Iſaac, & Jacob, & omnem antiquorum Sanctorum multitudinem illam, præclaram fidem, quam in ipſorum laudem prædicat Apoſtolus Paulus, non per bonum naturæ quod prius in Adam datum fuerat, ſed per gratiam Dei credimus fuiſſe collatam.*

Audis ne Queſnelle? Arauſicanum Concilium prædicat Sanctorum veterum multitudinem in antiquo fœdere floruiſſe, fideque per gratiam enituiſſe. Nequaquam igitur Sanctorum veterum ad antiquum fœdus pertinentium multitudinem in ſua impotentia reliquit Deus, ut ipſe ſomnias, ſed eandem

ipſam efficaci gratia donavit, qua præclaram fidem conci-perent. Concilium autem Milevitanum 2., cujus magna pars Auguſtinus fuit, Epiſtola ad Innocentium Papam ità ſen-tit. *Quapropter ſi & ante tempus Legis, & tempore ipſo Legis juſtos Patres ex fide viventes non poſſibilitas naturæ infirmæ, & indigna, ac vitiata, & ſub peccato venundata, ſed Dei gratia per fidem juſtificabat, & nunc eadem in apertum jam veniens revelata juſtificat: anathematizet ergo Pelagius ſcripta ſua, ubi contrà eam, & ſi non per contumaciam, tamen per ignorantiam diſputat.*

Divus Thomas 1. 2. Quæſt. 98. artic. 2. ad 4. comprobat veritatem his verbis; *Ad* 4. *dicendum quòd, quamvis lex vetus non ſufficeret ad ſalvandum homines; tamen aderat aliud auxilium à Deo hominibus ſimul cum lege, per quod ſalvari poterant, ſcilicet fides Mediatoris, per quam juſtificati ſunt antiqui Patres, ſicut etiam nos juſtificamur: & ſic Deus non deficiebat hominibus, quin daret eis ſalutis auxilia.*

Huc accedit graviſſimum Divi Auguſtini Teſtimonium, qui Lib. 3. ad Bonifacium capite 4., ità rem confirmat, ut nihil ſuprà: *Quis enim Catholicus dicat, quod nos dicere jactitant* (Pelagiani) *Spiritum Sanctum adjutorem virtutis in veteri Teſtamento non fuiſſe?*

Rurſus idem clarius lib. 1. cap. 11. de Peccatorum meritis, & remiſſione ſuam ſententiam ſic aperit: *Hoc Regnum Mortis ſola in quolibet homine gratia deſtruit Salvatoris, quæ operata eſt etiam in antiquis Sanctis quæcumque, antequam in carne Chriſtus veniret; ad ejus tamen adjuvantem gratiam, non ad legis literam, quæ jubere tantum, non adjuvare poterat, pertinebant.*

Quamobrem jure optimo Summus Pontifex Alexander Octavus, Sancto Auguſtino, ac Divo Thomæ conſonus quintam hanc Theſim damnavit: *Pagani, Judæi, Hæretici, aliique hujus generis nullum omnino accipiunt à Jeſu Chriſto influxum, adeoque hinc rectè inferes in illis eſſe voluntatem nudam, & inermem ſine omni gratia ſufficiente.*

Propoſitionem hanc tum Summus Pontifex Alexander

Octavus damnavit, tum univerſa Eccleſia reprobavit, & condemnavit: Condemnant ergo te quoque mi Queſnelle dicentem Judæos veteris fœderis nullum omnino à Chriſto Domino influxum accepiſſe, neque ad ipſius adjuvantem gratiam pertinuiſſe, ſed à Deo eſſe in ſua impotentia derelictos.

Altè profectò veluti Tuba clamat Auguſtinus Judæos veteris fœderis fuiſſe gratia ſervatoris Chriſti munitos: clamat Thomas Doctor Angelicus veteri fœderi auxilium, quo Judæi æternam ſalutem obtinere poſſent, non defuiſſe; & Tu ſemiſomnis adhuc mi Queſnelle ſomnias Judæos antiqui Teſtamenti à Deo eſſe in ſua impotentia derelictos? Convincit Te, & elinguem reddit Sacra Scriptura, quæ de Aſa, & Populo Lib.2. Paralipom. cap. 15. ità tradit: *in tota voluntate quæſierunt eum* (*Dominum*) *& invenerunt*. Audis ne Queſnelle non unum, vel alterum Judæum, ſed Aſam, & Populum Judaicum Mandata Dei reipſa ſervaſſe? Quare igitur dicis Tu Gentem Judaicam in ſua impotentia Deum reliquiſſe, licet ab ipſa eodem tempore implementum legis exigeret?

Adhuc Oſeæ 13. hæc ſcripta legimus: *Perditio tua Iſrael: tantummodo in me auxilium tuum*.

Ipſemet Deus teſtatur ſe ſe Judæis auxilium dare, certè ad Divina ſervanda Mandata; & Tu Queſnelle adhuc prædicare non dubitas Judæos in ſua impotentia à Deo relictos fuiſſe?

Perge porrò. Deuteronomii 30. Deus per Moyſem Judæis præcipit ità: *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non ſupra te eſt, neque procul poſitum, nec in cœlo ſitum, ut poſſis dicere: Quis noſtrum valet ad cœlum aſcendere, ut deferat illud ad nos, & audiamus, atque opere compleamus? neque trans mare poſitum, ut cauſeris, & dicas: quis ex nobis poterit transfretare mare, & illud ad nos uſque deferre? ut poſſimus audire, & facere, quod præceptum eſt.*

Sed

Sed juxta Te *eſt ſermo valde in ore tuo, & in corde tuo, ut facias illum. Conſidera quod hodie propoſuerim in conſpectu tuo vitam, & bonum, & è contrario mortem, & malum, ut diligas Dominum Deum tuum, & ambules in viis ejus &c.* Potuerunt Judæi ergo præceptum illud implere, alioquin ſupra ipſos hujuſmodi præceptum fuiſſet. Non reliquit igitur eos Deus in ſua impotentia, ſed eoſdem gratia munivit, qua poſſent, ſi vellent Divinam Legem ſervare. Dominus de Populo Judaico in veteri fœdere per Iſaiam capite 5. queritur: *Habitatores Hieruſalem, & viri Juda judicate inter me, & vineam meam; quid eſt quod debui ultra facere vineæ meæ, & non feci ei? an quod expectavi, ut faceret uvas, & fecit labruſcas?*

Certè Judæi Queſnelli ore facile Domino ſic reſpondiſſent; quid minus Domine facere potuiſſes, quàm nos in noſtra impotentia derelinquere? Quare à nobis expectas fructum? quos in noſtra impotentia reliquiſti, in qua fructum ferre nemo unus unquam poteſt. Qua quidem reſponſione quid injurioſius infinitæ Dei bonitati accidere, aut fingi poteſt?

Præterea ſi Deus juxta Te Queſnelle exigit à Judæis fugam peccati, & implementum legis, ſimulque ipſos in ſua impotentia derelinquit; impoſſibilia utique e ſententia tua jubet. Qua quidem opinione quid iniquius excogitari poteſt? Quocirca optimo jure illam ſententiam imo verò turpiſſimum errorem Tridentina Generalis Synodus damnat, ac reijcit hiſce verbis: *Deus impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet, & facere* (a) *quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adjuvat ut poſſis, cujus mandata gravia non ſunt, cujus jugum ſuave eſt, & onus leve.*

S. demùm Pius V., & Gregorius XIII. Summi Pontifices damnaverunt hanc Bay 54. propoſitionem: *Definitiva hæc ſen-*

(a) Seſſ. 6. cap. 11.

tentia: *Deum homini nihil impoſſibile præcepiſſe falsò tribuitur Auguſtino, cum ſit Pelagii.*

Rationes etiam hoc loco addendæ ſunt, quas nobis contra Queſnellum prærogativa, & excellentia ſummæ Dei bonitatis, & infinitæ miſericordiæ ſuppeditant. Nam Regius Propheta Pſalm.24. prædicat Divinam miſericordiam: *Univerſæ viæ Domini miſericordia*; & Pſalm.144. Laudat Divinam bonitatem: *ſuavis Dominus univerſis, & miſerationes ejus ſuper omnia opera ejus.*

Quonam pacto Queſnelle mi electo tum Judaico populo ſuavis Deus fuiſſet; ſi ab eodem implementum exegiſſet legis, eundemque ſimul in ſua impotentia, ut affirmas Tu, reliquiſſet?

Rurſus ſi lex Domini Hebræorum Genti fuiſſet impoſſibilis, ut Queſnellus aſſerit; maximum ſanè hoc abſurdum ſequeretur, Deum videlicet optimum, qui eſt ipſamet bonitas, eſſe omni Tyranno longè crudeliorem, ac ſtultiorem, utpote qui à ſuo electo ea tempeſtate populo, quem tot miraculis undique ſtipabat, totque benevolentiæ argumentis ſibi devinciebat aſſidue, tributum exigeret, quod ille ſolvere non poſſet, & leges ferret Judæis, quas ab eis non poſſe obſervari pernoſceret.

PRO-

PROPOSITIO VII.

Quæ utilitas pro homine in veteri fœdere, in quo Deus illum reliquit ejus propriæ infirmitati, imponendo ipſi ſuam legem? quæ verò felicitas non eſt admitti ad fœdus, in quo Deus nobis donat, quod petit à nobis?

Queſnellus Hebr. 8. 7. *in editione* 1693. & 1699.

E Sententia tua Queſnelle in veteri fœdere Deus Judæos reliquit eorum propriæ infirmitati, imponendo ipſis ſuam legem: ſentias igitur neceſſe eſt illos gratia alioquin neceſſaria ad opera ſalutaria patranda, divinamque legem ſervandam caruiſſe: ſi gratia caruerunt: opera ſalutaria patrare minime potuerunt: ſi non potuerunt, liberum arbitrium e tua ſententia amiſerunt. Vide jam quam juſtè promerearis anathema Generalis Concilii Tridentini ità definientis. *Si quis liberum hominis arbitrium poſt Adæ peccatum amiſſum, & (a) extinctum eſſe dixerit &c. anathema ſit.*

Præterea ſi Deus e Sententia tua in veteri fœdere Judæis legem impoſuit, & ſimul eos propriæ eorum infirmitati reliquit: gratia illi utique neceſſaria ad opera ſalutaria patranda, & ad legem Dei, ſicut oportet, ſervandam caruerunt: ſi caruerunt, non potuerunt ſane illam obſervare: ſi non potuerunt; ſequitur ſine controverſia ut eam neceſſariò violaverint: Jamque vides ut ſenſim turpiter in hereſim VVicleffi defluxeris; cujus 27. hunc articulum: *omnia de neceſſitate abſoluta eveniunt*, (b) ac propterea tuam etiam huic planè conſonam propoſitionem Generalis Conſtantienſis Synodus condemnavit.

Rurſus cum ore pleno, conſtanterque affirmes Deum Ju-

(a) *Seſſ.* 6. *can.* 5. (b) *Seſſ.* 8.

dęis impoſuiſſe legem in veteri fędere, eoſdemque ſimul propriæ eorum infirmitati dereliquiſſe;fatearis oportet illos fuiſſe gratia denudatos; manifeſtoque Synodo Arauſicanæ ſecundæ repugnes, quam univerſalis Eccleſia coluit ſemper, ac venerata eſt. Hæc enim Synodus can. 25. ait. *Unde in Abel juſtum, & Noe, & Abraham, & Iſaac, & Jacob, & omnem antiquorum Sanctorum multitudinem illam, præclaram fidem, quam in ipſorum laudem prædicat Apoſtolus Paulus, non per bonum naturæ, quod prius in Adam datum fuerat, ſed per gratiam Dei credimus fuiſſe collatam.*

Synodus Arauſicana prædicat *antiquorum Sanctorum multitudinem* in veteri fœdere floruiſſe, & fide per gratiam enituiſſe: Hinc planè fit, ut multitudinem hujuſcemodi Sanctorum antiqui fœderis Deus non dereliquerit eorum propriæ infirmitati, quemadmodum ipſe affirmare non dubitas, ſed efficacem gratiam ipſis largitus fuerit, qua Sancti fuerunt.

Huc accedit graviſſimum Teſtimonium,& auctoritas magni Auguſtini veritatem hanc confirmantis ità: *Hoc Regnum mortis ſola in quolibet homine gratia deſtruit Salvatoris, quæ operata eſt etiam in antiquis Sanctis, quæcumque, antequam in carne Chriſtus veniret; ad ejus tamen* (a) *adjuvantem gratiam, non ad legis literam, quæ jubere tantum, non adjuvare poterat, pertinebant.*

Si Judæi in antiquo fœdere gratia fulciebantur, ut ſentit magnus Auguſtinus; certè non propriæ infirmitati relinquebantur, ut affirmat Queſnellus.

Prodeat demum Doctor Angelicus, & Sanctorum Patrum aureum os D. Thomas, qui 1. 2. quæſt. 98. art. 2. ad 4. ità ſcribit: *Quamvis lex vetus non ſufficeret ad ſalvandos homines; tamen aderat aliud auxilium à Deo hominibus ſimul cum lege, per quod ſalvari poterant.*

Quod ſi e Divi Thomæ Sententia in lege veteri aliud auxilium Judæis aderat à Deo, per quod ſalvari poſſent; Ergo Deus illos propriæ eorum infirmitati minime reliquit, ut hallucinatur Queſnellus. PRO-

(a) *Lib. 1. de Peccatorum meritis, & remiſſione. cap. 11.*

PROPOSITIO VIII.

Nos non pertinemus ad novum fędus, niſi in quantum participes ſumus ipſius novæ gratiæ, quæ operatur in nobis id, quod Deus nobis præcipit.

Queſnellus Hebr. 8. 10. *in editione* 1693. *&* 1699.

E Sententia Queſnelle tua *homines non pertinent ad novum fędus niſi in quantum participes ſunt gratiæ, quæ operatur in illis id quod Deus præcipit*: Sed peccatores Catholici, qui vel adulterii, vel perjurii labe animum deturpaverint, hujuſmodi efficaci gratia juxta Te quoque deſtituti ſunt. Igitur e Sententia tua non pertinent ad novum fœdus, ideoque ab Eccleſia reſcinduntur, quæ certè quidem ex novo fœdere coaleſcit, atque promanat: Jamque hìc errorem hauris, ac memoriam imploras Pelagianorum, qui quoslibet peccatores ab Eccleſiæ Societate dejiciebant; quippe qui Eccleſiam eſſe hominum perfectorum nullum peccatum habentium multitudinem ſentirent, ut B. Auguſtinus refert Libro de hæreſibus errorem hunc, ac refellit: (*a*) *In id etiam* (inquit) *progrediuntur, ut dicant vitam juſtorum in hoc ſæculo nullum omninò habere peccatum, & ex his Eccleſiam Chriſti in hac mortalitate perfici, ut ſit omninò ſine macula, & ruga: quaſi non ſit Chriſti Eccleſia, quæ in toto terrarum Orbe clamat ad Deum: dimitte nobis debita noſtra.*

Conſtantienſis inſuper Generalis Synodus Seſſione 8. damnavit hunc articulum 15. Joannis VVicleffi: *nullus eſt Epiſcopus, dum eſt in peccato mortali.*

In Theſi autem tua non ſolum hic, ſed alius etiam longe deterior latet error, dum hinc ſequitur Epiſcopum, dum eſt

(a) *De Hæreſib. ad Quodvultdeum.*

eſt in peccato mortali, ideoque non *eſt* (juxta Te) *particeps ipſius novæ gratiæ, qua operatur quod Deus præcipit*, nequaquam e ſententia tua pertinere ad novum fędus: dum non pertinet ad novum fędus, non eſſe Chriſtianum: quod quidem longè deterius eſt, quam Paſtoralem auctoritatem, dignitatemque amittere. Idcircò Synodi œcumenicæ Conſtantienſis gravius anathema in Tuum, quàm in Joannis VVicleffi caput meritò recidit.

Dum Queſnellus aſſerit nos non pertinere ad novum fędus, niſi in quantum ſumus participes gratiæ efficacis; nullam profectò aliam novo fęderi, quam efficacem gratiam tribuit, ac perindè hìc, ut in ſecunda Theſi, ſufficientem gratiam denegare pergit, quam Sanctus Auguſtinus, ac Divus Thomas ſplendidè, magnificeque propugnant. Sic enim ſentit Auguſtinus: *Cum voluntate humana, gratia adjuvante divina, ſine peccato* (*a*) *in hac vita poſſit homo eſſe; Cur non ſit, poſſem facillimè, ac veraciſſimè reſpondere, quia homines nolunt.*

Si gratia Divina adjuvante homines poſſunt eſſe ſine peccato, nec tamen ſunt, quia nolunt: certè hujuſmodi gratia non in album efficacis gratiæ, ſed in ſufficientis refertur.

Rurſus idem Sacer Doctor ità præclarè ſuam Sententiam aperit: *Unde hi qui non per gratiam liberantur,* (*b*) *quia obedire noluerunt; juſtè utique damnantur.* Ecce tibi imago ſufficientis gratiæ, quam Tu Queſnelle non dubitas pernegare.

Accedat denique Sanctus Thomas, Teque convincat, & elinguem reddat in eam Sententiam: *Gratia novi Teſtamenti etſi adjuvet hominem* (*c*) *ad non peccandum, non tamen ità confirmat in bono, ut homo peccare non poſſit: hoc enim pertinet ad ſtatum gloriæ. Et ideò ſi quis poſt acceptam gratiam novi Teſtamenti peccaverit, majori pœna eſt dignus, tanquam majoribus beneficiis ingratus, & auxilio ſibi dato non utens, nec tamen propterea dicitur, quod lex nova iram operatur; quia* quan-

(a) *Lib. 2. de peccatorum meritis, & remiſſione cap. 17.* (b) *Lib. de natura & gratia cap. 4.* (c) 1. 2. *quæſt.* 106. *artic.* 2. *ad* 2.

quantum eſt de ſe, ſufficiens auxilium dat ad non peccandum.

Hoc loco Divus Thomas actualem prævenientem gratiam intelligit: nam ſi habitualis tantum intelligeretur; Illuſoria ſanè foret ratiocinatio Sancti Thomæ, qui ſine actuali habitualem non ſufficere inferius declarat, ac docet.

PROPOSITIO IX.

Gratia Chriſti eſt Gratia ſuprema, ſine qua confiteri Chriſtum nunquam poſſumus, & cum qua nunquam illum abnegamus.

Queſnellus 1. *Corinth.* 12. 3. *editione* 1693.

Cum hujuſmodi propoſitio indefinita ſit; ex certa tum Philoſophorum, tum verò etiam Theologorum regula, ità æquiparatur Univerſali, ut ſibi velit omnem Chriſti gratiam eſſe ſupremam, ſine qua confiteri Chriſtum nunquam poſſumus, & cum qua nunquam illum abnegamus.

Dum igitur Queſnellus aſſerit gratiam Chriſti ſupremam eſſe, cum qua Chriſtum nunquam abnegamus: efficacem utique gratiam intelligat neceſſe eſt: dum verò addit ſine hac efficaci gratia nos Chriſtum nunquam confiteri poſſe; Sufficientem iterum gratiam, qua Chriſtum infidelis confiteri poteſt, licet ſuapte culpa libere nolit, de medio tollere pro virili parte ſtudet, manifeſtoque pugnat cum Beato Paulo Apoſtolo ſic prædicante: *Benignitas Dei ad pœnitentiam* (a) *Te adducit: Tu autem ſecundum duritiam tuam, & impœnitens cor tuum theſaurizas tibi iram in die iræ.* Ne-

(a) *Epiſtol. ad Roman. cap.* 2.

Nequaquam verò benignitas Dei ad pœnitentiam ſine interiori Chriſti gratia præveniente, ac excitante adducit, ut contra Pelagianos (*a*) olim definitum fuit, ac ſatis conſtat ex Tridentina Synodo Generali definiente *hominem* (*b*) *ſine præveniente Spiritus Sancti inſpiratione*, *atque ejus adjutorio pęnitere non poſſe*, *ſicut oportet*.

Et tamen Gratia iſthæc interior, ac præveniens ab iis reſpuitur, qui ſpreta Dei benignitate, quæ ad pœnitentiam adducit, *ſecundum duritiam ſuam*, & impœnitens cor ſuum *Theſaurizant ſibi iram in die iræ*.

Ecce tibi Queſnelle Beatus Apoſtolus Paulus contemplandam exhibet gratiam, qua quis pœnitentiam ſalutarem agere poteſt, nec tamen agit, quia non vult.

Præterea Sanctus Auguſtinus Judæos ità coarguit lib. de gratia, & libero arbitrio cap. 12. *gratiam repellebant*, *& in Chriſtum propterea non credebant*.

Hoc ſanè loco Sanctus Auguſtinus non externam, ſed interiorem ſignificat gratiam, cum de induſtria refellat Pelagianos, qui non externam, ſed interiorem gratiam pernegabant: imo verò etiam eam gratiam intelligit, qua Judæi credere poſſent, ſi vellent, & ſine qua credere non valerent. Hanc verò eſſe ſolam interiorem, & non externam conſtanter ſemper contra Pelagianos aſſeruit, ac prædicavit magnus Auguſtinus.

Audi rurſus quid Doctor Angelicus ſcripſerit: *Gratia novi Teſtamenti etſi adjuvet hominem ad non peccandum*, *non tamen ità confirmat in bono*, *ut homo peccare non poſſit*. *Hoc enim pertinet ad ſtatum gloriæ*, *& ideò ſi quis poſt acceptam gratiam novi Teſtamenti peccaverit*, *majori pęna eſt dignus*, *tanquam* (*c*) *majoribus beneficiis ingratus*, *& auxilio ſibi dato non utens*, *nec tamen propterеà dicitur*, *quòd lex nova iram operatur*, *quia quantum eſt de ſe*, *ſufficiens auxilium dat ad non peccandum*.

Quo

(a) *Concil. Milevitan. can.* 5. (b) *Seſſ.* 6. *can.* 3. (c) 1. 2. *qu.* 106. *artic.* 2. *ad* 2.

Quo quidem graviſſimo tanti Doctoris teſtimonio nihil præclarius, aut illuſtrius excogitari poteſt ad confirmandam ſufficientem gratiam, quam toties cum Janſenio Magiſtro ſuo Queſnellus negat.

Huc accedit auctoritas Africanorum Patrum, quorum Epiſtola Synodica anno 521. ſcripta, de Gratia, & libero arbitrio hæc prædicat: *Hoc quippe in homine (a) agit gratia divinitus data, ut animus dono fidei, charitatiſque (b) percepto, & ſermonem bonum proferat, & ſtudio bonæ operationis inſiſtat*, paulo inferius hæc leguntur: *Repugnat gratiæ Dei, qui ſenſum gerit fidei Chriſtianæ contrarium: repugnat autem opere, qui in moribus ſuis Chriſtianæ vitæ non tenet inſtitutum.*

Veteres illi Africani Patres agnoſcunt, fatenturque aliquam gratiam, cui humanum repugnat arbitrium. Hæc autem non eſt efficax illa, quam prædicas, ergo eſt ſufficiens illa, quam denegas.

PROPOSITIO X.

Gratia eſt operatio manus Omnipotentis Dei, quam nihil impedire poteſt, aut retardare.

Queſnellus Matth. 30. 34. *editione* 1693. & 1699.

QUeſnelliana hujuſcemodi propoſitio primum omnium à ſacroſancta Generali Tridentina Synodo damnatur in eam Sententiam: *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum*

(a) ni-

(a) *To. 2. Harduin. pag.* 1055. (b) *in Synodo legitur* præcepto, *& in margine* percepto.

(*a*) *nihil cooperari aſſentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quoad obtinendam juſtificationis gratiam ſe diſponat, ac præparet;* NEQUE POSSE DISSENTIRE, SI VELIT, *ſed velut inanime quoddam nihil omninò agere, merèque paſſivè ſe habere, anathema ſit.*

Rurſus ab eadem Synodo Tridentina Generali damnatur iſthæc propoſitio ità clare, ut nihil ſupra: *Declarat præterea* (Synodus) *ipſius juſtificationis exordium in adultis à Dei per Chriſtum Jeſum præveniente gratia ſumendum eſſe, hoc eſt, ab ejus vocatione, qua, nullis eorum exiſtentibus meritis vocantur; ut qui* (*b*) *per peccata à Deo averſi erant, per ejus excitantem, atque adjuvantem gratiam ad convertendum ſe ad ſuam ipſorum juſtificationem eidem gratiæ liberè aſſentiendo, & cooperando, diſponantur: ita ut tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem, neque homo ipſe nihil omninò agat inſpirationem illam recipiens:* QUIPPE QUI ILLAM, ET ABIJCERE POTEST. *Neque tamen ſine gratia Dei movere ſe ad juſtitiam coram illo libera ſua voluntate poſſit. Unde in ſacris literis cum dicitur: convertimini* (*c*) *ad me, & ego convertar ad vos, libertatis noſtræ admonemur, cum reſpondemus: converte nos Domine ad Te, & convertemur: Dei nos gratia præveniri confitemur.*

Synodus Tridentina damnat dicentem liberum arbitrium efficaci gratiæ, nec diſſentire, neque illam abjicere poſſe: damnat igitur etiam Te Queſnelle aſſeverantem nihil poſſe gratiam impedire, aut retardare.

A Conſtantienſi Generali Synodo Queſnellus damnatur cum Joanne VVicleffo temerè effutiente, *omnia quæ* (*d*) *evenient, abſolute, neceſſariòve evenient.*

Cum autem e Queſnelli Sententia liberum arbitrium efficacem gratiam nec impedire, nec retardare queat: ſequitur illico ſalutarem actum homini neceſſariò evenire, ſimplicemque neceſſitatem ab efficaci gratia humanæ voluntati afferri. Ad

(a) *Seſſ. 6. de juſtificat. can. 4.* (b) *Seſſ. 6. de juſtificat. cap. 5.* (c) *Joel. 2.* (d) *Seſſ. 15.*

Ad hæc Senonenſis Provincialis Synodus memoriæ tradit pernicioſum hujuſmodi errorem altius ab antiquis Ethnicis ad VVicleffum, atque Lutherum profluxiſſe: ſic enim Synodus ſcribit: *Etſi nulla pene ſit tàm aperta catholica veritas, nullus tàm manifeſtus Sacræ Scripturæ locus quem* (a) *non Hæretici ſuis cavillis, & tergiverſationibus eludant; nulla tamen in re tàm impudenter, tantaque rei Chriſtianæ jactura debacchati ſunt, quàm in exterminando, profligandoque libero arbitrio. Nam quid Chriſti Fidelibus pernicioſius excogitare potuit hoſtis ille veritatis, quam ſi vel à Pelagio ſeducti omnia ſine præſidio gratiæ ſibi tumidiùs arrogent, vel fatiſcenti, puſilloque animo cum VVicleffo neceſſitati, fatiſque committant omnia? Nihil profectò reliquum erit tum Divinis legibus, tum humanis; nullus conſiliis, aut electioni, nullus precibus, aut objurgationi, cæteriſque id genus locus: nulla denique juſtitia futura eſt, quа quibuſdam pœnę, quibuſdam conſtituta ſint prēmia: ſi pro VVicleffi, & Lutheranorum ſententia, omnia de neceſſitate eveniant: Prodierat hic error primum apud Gentiles, ſed ſummo omnium conſenſu mox exploſus eſt: adeo liberum eſſe arbitrium, velut evidenti quodam experimento cognitum omnium mentibus ſe ſe inculcat. Cum igitur reliquerit Deus* (b) *hominem in manu conſilii ſui, appoſueritque coram eo ignem, & aquam, bonum, & malum: ut ad quodcumque voluerit, porrigat manum ſuam, nec abs re beatus ille dicatur, qui* (c) *potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus, facere mala, & non fecit: quod ſub eo ſit appetitus* (d) *ejus, & dominetur illius, ac denique percurrenti Sacram Scripturam paſſim obvium ſit, quod liberum in utramvis partem hominis arbitrium aſſeveret: ſatis eſſe viſum eſt Sacro Provinciali Concilio libertatis hujuſmodi vires, & metas exponere. Neque enim liberum arbitrium aſſerentes divinam excludimus propterea gratiam: quod illi falſo toties imponere non verentur, atque hoc ſummo cre-*

(a) Decreto 15. (b) *Eccleſiaſt. cap.* 15. (c) *Eccleſiaſt. cap.* 31. (d) *Geneſ.* 4.

credulorum oculos perſtringere: ſed juxta Sacram Scripturam eo extendimus, ut voluntas humana miſericordiæ prævenientis auxilio ſuffulta, & interiori quodam, & occulto ſecretioris inſpirationis afflatu contacta ſe ſe convertat in Deum, nec denique tale ſit hujuſmodi trahentis Dei auxilium, CUI RESISTI NON POSSIT.

Præterea tum Innocentius X. Summus Pontifex damnavit, tum verò univerſa Eccleſia reprobavit quartam iſtam Janſenii propoſitionem. *Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei, & in hoc erant Hæretici, quod vellent eam gratiam eſſe talem, cui poſſet humana voluntas reſiſtere, vel obtemperare.*

Hinc patet tum Summum Pontificem Innocentium Decimum, tum univerſam Eccleſiam firmiter credere humanam voluntatem poſſe efficaci gratiæ diſſentire. Rurſus idem Summus Pontifex proſcripſit æque, ac tota Orthodoxa Eccleſia reſpuit, execrataque fuit hanc tertiam Janſenii propoſitionem: *Ad merendum*, & *demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas à neceſſitate, ſed ſufficit libertas à coactione.*

A Sancto demum Pio Quinto, Gregorio Decimotertio, & Urbano Octavo Summis Pontificibus, & ab univerſa Eccleſia condemnatur Queſnellus una cum Bajo, cujus 39. proſcripta Theſis ità ſe habet: *Quod voluntariè fit, & ſi neceſſariò fiat, liberè tamen fit*, & 41. *Is libertatis modus, qui eſt à neceſſitate, ſub libertatis nomine non reperitur in Scripturis; ſed ſolum nomen libertatis à peccato.*

Cum autem e Queſnelli Sententia liberum arbitrium gratiam impedire nequeat, nec tamen ulla prorſus vi cogatur; voluntariè quidem, ſed neceſſario juxta eundem agat oportet; atque ob eam cauſam in eodem luto Queſnellus, in quo Bajus ſine controverſia inhæret.

Divus Thomas, cujus *Summam* Janſenius *contractum Au-*

gu-

guſtinum (*a*) vocat; errorem hunc, vel, ut ſatius dicam hæreſim quibuſdam tribuit: ſcribit enim in eam Sententiam: *Dicendum quod quidam poſuerunt quod voluntas hominis* (*b*) *ex neceſſitate movetur ad aliquid eligendum; nec tamen ponebant quod voluntas cogeretur; non enim omne neceſſarium eſt violentum, ſed ſolum id, cujus principium eſt extra. Hæc autem opinio eſt hæretica; tollit enim rationem meriti, & demeriti in humanis actibus. Non enim videtur eſſe demeritorium, vel meritorium, quòd aliquis ſic ex neceſſitate agit, ut vitare non poſſit.*

Quòdſi voluntas humana efficacem gratiam impedire, vel retardare nequit, ut vult Queſnellus; ſic utique ex neceſſitate agit, ut vitare non poſſit: quapropter merito D. Thomas quoque notam Queſnello inurit hæreſeos.

Magnus demum Auguſtinus lib. 2. contra Fauſtum cap. 5. inquit. *Et nos quidem ſub fato ſtellarum nullius hominis geneſim ponimus, ut liberum arbitrium voluntatis, quo vel benè, vel malè vivitur, propter juſtum Judicium Dei ab omni neceſſitatis vinculo vindicemus.*

Ab omni neceſſitatis vinculo liberum arbitrium vindicat Auguſtinus: ergo vindicat illud ab omni vinculo tum coactionis, tum verò etiam ſimplicis neceſſitatis.

Idem rurſus Sacer Doctor lib. 3. de libero arbitrio cap. 1. inquit: *motus, quo huc, atque illuc voluntas convertitur, niſi eſſet voluntarius, atque in noſtra poſitus poteſtate; neque laudandus, cum ad ſuperiora, neque culpandus homo eſſet, cum ad inferiora detorquet quaſi quendam cardinem voluntatis.*

Cum itaque Beatus Auguſtinus *motum*, *quo huc*, & *illuc voluntas convertitur*, nuncupet *voluntarium*; libertatem certè à coactione immunem tuetur; cum verò *motum* hujuſmodi *in noſtra poſitum eſſe poteſtate* affirmet; libertatem utique à neceſſitate ſolutam fateatur oportet.

D Oppo-

(a) *Lib. progm. cap.* 22. (b) *Quæſt.* 6. *de malo art. unico.*

Oppoſitio Queſnellianorum.

Sanctus Auguſtinus cap. 14. de correptione, & gratia dixit: *Deus habet humanorum cordium quò placeret inclinandorum omnipotentiſſimam poteſtatem.*

Reſponſio.

Inclinare non eſt imponere neceſſitatem: imo verò etiam, ut veſtrum Queſnelliani argumentum magis corroborem, addo, ajoque Deum habere omnipotentiſſimam poteſtatem non inclinandi modo, ſed, quod plus eſt, etiam trahendi voluntates humanas: quomodo autem Deus trahat, indicat nobis Auguſtinus in eam Sententiam.

Si tibi (Petiliane) *proponam quæſtionem, quomodo Deus Pater attrabat ad filium homines, quos in libero dimiſit arbitrio; fortaſſe eam difficile ſoluturus* (*a*) *es. Quomodo enim attrahit, ſi dimittit, ut quis quod voluerit, eligat? & tamen utrumque verum eſt, ſed intellectu hoc penetrare pauci valent.*

Deus Pater trahit ad filium homines; Ergo illos gratia efficaci trahit: & ſimul eoſdem dimittit, ut quis quod voluerit, eligat: poſſunt igitur efficaci gratiæ homines diſſentire, licet re ipſa nequaquam diſſentiant. Si Deus hominem *in libero dimittit arbitrio;* Ergo illum non cogit: *ſi dimittit, ut quod voluerit, eligat*: nequaquam igitur eidem ſuavem inevitabilem neceſſitatem in bonum affigit: meamque hanc, imo verò etiam omnium Catholicorum perennem, conſtantemque Sententiam ſublimis Theologorum Aquila magnus Auguſtinus ità confirmat.

Videte (inquit) *quomodo trahit Pater; docendo delectat,* (*b*) *non neceſſitatem imponendo.*

Quid quęritis amplius Queſnelliani chariſſimi? num audire cupitis ultimam, claram, firmam, & irrevocabilem Sententiam, quam Lib. 1. retractationum cap. 22. aperuit nobis, ac patefecit Auguſtinus? Libenter equidem ſatis vobis faciam: ecce

(a) *Lib. 2. contra Petilianum cap. 84.* (b) *Tract. 26. in c. 6. Joa.*

ecce vobis tanti Doctoris verba *: niſi quiſque, inquam, voluntatem mutaverit, bonum operari non poteſt, quod in noſtra poteſtate eſſe poſitum alio loco Dominus docet, ubi ait : aut facite arborem bonam, & fructum ejus bonum, aut facite arborem malam, & fructum ejus malum, quod non eſt contra gratiam Dei, quam prædicamus. In poteſtate quippè hominis eſt mutare in melius voluntatem, ſed ea poteſtas nulla eſt, niſi à Deo detur, de quo dictum eſt: dedit eis poteſtatem filios Dei fieri. Cum enim hoc ſit in poteſtate quod cum volumus, facimus, nihil tam in poteſtate, quàm ipſa voluntas eſt, ſed præparatur voluntas à Domino. Eo modo, ergo dat poteſtatem. Sic intelligendum eſt, & quod dixi poſtea, in noſtra poteſtate eſſe, ut vel inſeri bonitati Dei, vel excindi ejus ſeveritate mereamur, quia in poteſtate noſtra non eſt, niſi quod noſtram ſequitur voluntatem, quæ cum fortis, & potens præparatur à Domino, facilè ſit opus pietatis, etiam quod difficile, atque impoſſibile fuit.*

Si Janſenius, & Queſnellus vellent errore ſuo depoſito ad vivum libertatem tum à coactione, tum verò etiam à neceſſitate immunem exprimere, & adamuſim repræſentare : poſſent ne,quæſo,aliquid firmius hiſce Auguſtini verbis,atque illuſtrius excogitare? Et tamen Auguſtini gratia præparat voluntatem : Queſnelliana ſuapte dulci, & inevitabili neceſſitate rapit, atque abſorbet. Auguſtinus libero arbitrio tribuit poteſtatem eligendi ; Queſnellus verò neceſſitatem imponit.

Textus igitur, quem ex primo retractationum libro jam in medium protuli ; cæteris omnibus eſt Auguſtini ſcriptis facilè præferendus ; quippè qui ſit ſupremæ voluntatis Auguſtini juſta, rata, fixaque Sententia de eo, quod poſt mortem credi voluerit. Quamobrem quæcumque contra nos ex aliis ejuſdem clariſſimi Doctoris monumentis à Queſnellianis deprompta fuerint, ac recitata ; ſic planè explicanda ſunt, ut ab hoc Textu non diſcrepent ; Sin autem cum eodem (quod certè Queſnelliani nunquam poſſunt oſtendere) pugnaverint ; irrita ſine controverſia (ſic enim jubet Auguſtinus) infectaque ſunt.

Proponuntur argumenta Queſnellianorum e Divinis Literis deprompta.

Oppoſitio prima.

Dicitur Hieremiæ 10. *non eſt in homine via ejus, nec viri eſt, ut dirigat greſſus ſuos.*

Reſponſio.

Quid juvat? quid refert Queſnelliani chariſſimi ea repetere, quæ jamdudum ſibi Doctor Angelicus, & objecerat, & diluerat? Quamobrem ille prò me vobis ita reſpondet: *Ad quartum dicendum quod dicitur* (a) *non eſſe in homine via ejus quantum ad executiones electionum, in quibus homo impediri poteſt, velit, nolit: electiones autem ipſa ſunt in nobis, ſuppoſito tamen Divino auxilio.*

Oppoſitio ſecunda, & ultima.

Dicitur Roman.9. *Voluntati ejus quis reſiſtit?* ergo Deus ex neceſſitate voluntatem humanam movet.

Reſponſio.

Reſpondeat pro me, ſatiſque vobis faciat Divus Thomas qui certè quidem 2. 2. qu.10. art.4. idem ſibi primum objicit, atque diluit in eam ſententiam: *Ad primum ergo dicendum quod voluntas divina non ſolum ſe extendit, ut aliquid fiat per rem, quam movet, ſed ut etiam eo modo fiat, quo congruit naturæ ipſius, & ideo magis repugnaret divinæ motioni, ſi voluntas ex neceſſitate moveretur* (*quod ſuæ naturæ non competit*) *quàm ſi moveretur liberè, prout competit ſuæ naturæ.*

Suamque illuſtrem reſponſionem Divus Thomas teſtimonio, ſententiaque pulcherrima Sancti Dionyſii confirmat ibidem ita, atque illuſtrat: *dicendum quod, ſicut Dionyſius dicit cap. 4. de Divinis nominibus, ad Providentiam Divinam non pertinet naturam rerum corrumpere, ſed ſervare. Unde omnia movet ſecundum eorum conditionem; ita quod ex cauſis neceſſariis per motionem Divinam ſequuntur effectus ex neceſſitate; ex cauſis autem contingentibus ſequuntur effectus contingentes.*

Quia

[a] 2.2. *Quaſt.10. art.4.*

Quia igitur voluntas eſt activum principium non determinatum ad unum, ſed indifferenter ſe habens ad multa, ſic Deus ipſam movet, quod non ex neceſſitate ad unum determinat.

PROPOSITIO XI.

Gratia non eſt aliud, quàm voluntas Omnipotentis Dei jubentis, ac facientis quod jubet.

Queſnellus Marc. 3. 11. *editione* 1693. & 1699.

CUm gratiam Queſnelle aſſeras *non eſſe aliud, quàm voluntatem Omnipotentis Dei jubentis, ac facientis, quod jubet*; ſentias profectò neceſſe eſt nullam gratiam, niſi ad opera præcepta conferri: Cum autem in ſtatu Legis Evangelicæ ſint etiam conſilia, quæ certè quidem à præceptis diſtincta ſunt; Hinc ſequitur illicò, ut vel intelligas non conferri gratiam ad evangelica conſilia exequenda: & ſic (quod ad hanc partem ſpectat) inhæres in luto Pelagianorum deblaterantium opera ſupernaturalia æternæ vitæ meritoria, in quorum album etiam conſilia evangelica referuntur, ſine interiori gratia fieri: vel cogeris negare à conſiliis præcepta diſtingui: & ſic incidis in hæreſim quorundam hæreticorum, qui dicebant eſſe præcepta omnia opera, quæ nos dicimus eſſe tantum conſilia evangelica, ut de abdicatione divitiarum dixit Pelagius eſſe in præcepto, teſte Auguſtino epiſtola 89., & de cælibatu dixit Tacianus, quem Encratici ſecuti ſunt, uti Auguſtinus (*a*) memoriæ prodit.

(*a*) *Hæreſi* 40.

Alterutrum probes neceſſe eſt. Utrum eligas, aliquem ſanè ſemper hæreticum ducem erroris, Magiſtrum, & Collegam habes.

Præterea dum in X. propoſitione ore pleno gratiam à noſtro libero arbitrio nec impediri poſſe, nec retardari prædicas; idemque ipſe affirmas hìc gratiam nihil eſſe aliud, niſi voluntatem Dei jubentis, ac facientis quod jubet: habeo profectò neceſſe concludere Te cum Luthero conſentire, & conſpirare: qui quidem humanum arbitrium non poſſe gratiæ diſſentire, ſi velit, ſed velut inanime quoddam nihil omninò agere, merèque paſſivè ſe habere effutiverat. Si enim e Sententia tua Deus jubet, & facit in voluntate noſtra quod jubet, & facit quidem per gratiam, quam nec impedire, nec retardare poſſumus; Jam ne vides Queſnelle mi? jam ne ſentis? hinc manifeſtè illico ſequi e tua Sententia liberum humanum arbitrium velut inanime quoddam nihil omninò agere, merèque paſſivè ſe habere. Quapropter mirari deſine, ſi iiſdem temetipſum diris optimo jure, quibus Lutherum Tridentina Synodus œcumenica ità devoveat: *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum, nihil cooperari aſſentiendo Deo excitanti, atque vocanti* (a) *quoad obtinendam juſtificationis gratiam ſe diſponat, ac præparet; neque poſſe diſſentire, ſi velit, ſed velut inanime quoddam nihil omnino agere, merèque paſſivè ſe habere; anathema ſit.*

Quoniam demum affirmas gratiam nihil aliud eſſe, quàm voluntatem Dei jubentis, ac facientis quod jubet; putas ſanè gratiam omnem eſſe efficacem, *ſeu facere quod Deus jubet*; ideoque involucris hujuſcemodi cupis tegere, & quaſi velis quibuſdam errorem illum ſtudes obtendere, quo ductus es, ut exiſtimes ſufficientem gratiam à naturæ lapſæ ſtatu eliminandam. Verum enim verò facile velim intel-

(a) *Seſſion. 6. de juſtification. can. 4.*

intelligas Te longè non ſolum à Sacræ Scripturæ, conciliorumque firma doctrina, quæ contra Te in ſecundæ tuæ propoſitionis confutatione ad ſufficientem gratiam demonſtrandam protuli, ſed etiam à Sancti Auguſtini, ac Divi Thomæ Sententia, quos contra Te hìc recito, diſcrepare. Sanctus enim Auguſtinus ità ſentit, ut ſcribit: *Infideles quidem contra Dei voluntatem faciunt, cum ejus evangelio non credunt, nec ideo tamen.* (*a*) *Eam vincunt, verum ſe ipſos fraudant magno, & ſummo bono, malıſque pœnalibus implicant, experturi in ſuppliciis poteſtatem ejus, cujus in donis miſericordiam contempſerunt.*

Hoc ſanè loco Divus Auguſtinus ſentit, ut patet, infideles contempſiſſe in donis miſericordia m Divinam, qua poſſent credere, ſi vellent. Neminem autem ſine præveniente Spiritus Sancti inſpiratione, atque ejus adjutorio, ſeu interiori gratia poſſe credere toties contra Pelagianos idem Auguſtinus prædicavit, & Concilium Arauſicanum, ac Tridentina Synodus œcumenica ſeſſione 6. de juſtificatione canone 3. definivit. Sanctus igitur Auguſtinus hìc miſericordiam gratiæ interioris intelligit; quæ certè quidem non fuit efficax, dum infideles credere noluerunt. Ergo fuit ſufficiens, dum infideles gratiam illam, qua poſſent credere, contempſerunt.

Rurſus idem Auguſtinus lib. de correptione, & gratia cap. 7. docet omnes juſtificatos poſſe uſque in finem perſeverare, ſi volunt: quod etiam à Concilio (*b*) Arauſicano, & Tridentina Synodo (*c*) Generali definitum eſt. Ergo omnes juſtificati fruuntur interiori gratia, qua poſſint perſeverare, ſi velint.

Sed non omnes juſtificati perſeverant in bono vitæ æternæ meritorio, ut patet. Ergo non omnes habent auxilium efficax quo perſeverent, ſed ſufficiens, quo perſeverare poſſint, ſi velint, dummodo Magno Auguſtino, &

(a) *De ſpiritu, & litera cap.* 33 (b) *Can.* 25. (c) *Seſſ. 6. de juſtificat. can.* 26.

Conciliis Arauſicano, ac Tridentino fidem habendam putes.

Divus Thomas tandem explicans cap. 5. primæ ad Theſſalonicenſes, verba illa: *Spiritum nolite extinguere; dicitur* (inquit) *quis extinguere ſpiritum, uno modo, fervorem ejus extinguendo vel in ſe, vel in alio. Rom. 12. Spiritu ferventes. Cum enim aliquis aliquid boni* (*a*) *ex fervore Spiritus Sancti vult facere; vel etiam cum aliquis bonus motus ſurgit, & ipſe impedit; extinguit Spiritum Sanctum Act. 7. Vos ſemper Spiritui Sancto reſiſtitis.*

Ecce tibi quàm clarè Doctor Angelicus ſufficientem gratiam ſpectandam præbet, quam Tu, ne videas, cęcutis vel in meridie, atque oculos claudis.

PROPOSITIO XII.

Quando Deus vult ſalvare animam, quocumque tempore, quocumque loco effectus indubitabilis ſequitur voluntatem Dei.

Queſnellus Marc. 2. 11. editione 1693. & 1699.

E Sententia Queſnelle tua, Quando Deus vult ſalvare animam (generatim enim hìc loqueris) quocumque tempore, quocumque loco effectus indubitabilis ſequitur voluntatem Dei. Cum autem nequaquam effectus indubitabilis reproborum ſalutis Divinam voluntatem ſequatur: Deum profectò ſalutem reproborum nullo modo velle, nec

[a] *Lection. 2.*

nec pro illis Chriſtum ſanguinem profudiſſe ſuum ſatearis neceſſe eſt; Dum nullam omnino reprobis gratiam à Deo per Chriſti Domini ſanguinem conferri putas, quippe qui non ſolum efficacem illis, ſed ſufficientem etiam denegare gratiam minime reformides. Nam ſufficientem gratiam à naturæ lapſæ ſtatu abjudicas, atque in pluribus tuis propoſitionibus reijcis.

Jamque commodum in errorem abriperis Janſenii Magiſtri tui; cujus certè V. propoſitio ità ſe habet: *Semipelagianum eſt dicere Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe*.

Hanc verò propoſitionem Janſenianam Summus Pontifex Innocentius X. damnavit, ac Univerſa Eccleſia reprobavit: Igitur etiam tuam opinionem utpotè errori Janſenii prorſus conſonam optimo Jure Sanctiſſimus Pontifex Clemens XI., & univerſa Eccleſia condemnavit.

Præterea manifeſtò Queſnelle pugnas cum Generali Synodo Lateranenſi ſub Innocentio III. celebrata, quæ cap. *firmiter*, ità ſentit, ac ſtatuit: *ſi poſt ſuſceptionem Baptiſmi quiſpiam relapſus fuerit in peccatum; per veram pœnitentiam ſemper poteſt reparari*.

Hæc verò Concilii definitio, ut ſatis compertum eſt, omnes ad unum comprehendit, qui poſt Baptiſmum in peccatum relapſi fuerint, ac nullum ſeu reprobum, ſeu prædeſtinatum excipit, neque privat gratia, qua reſipiſcere, ac ſempiternam ſibi felicitatem comparare queat.

Refragaris quoque Tridentinæ Synodo Generali, quæ ſeſſione 6. canone 29. definit: *ſi quis dixerit eum, qui poſt Baptiſmum lapſus eſt, non poſſe per gratiam reſurgere; anathema ſit*.

Decretum hoc Synodi Tridentinæ generatim omnes poſt Baptiſmum lapſos, ut patet, complectitur.

Sed multi poſt Baptiſmum lapſi minime reſurgunt, ut liquet. Ergo efficaci gratia caruerunt: ſed e Sententia Triden-

dentinæ Synodi potuerunt per gratiam reſurgere. Ergo ſufficientem gratiam habuerunt.

Longè autem ab Auguſtini Sententia abhorres. Tu enim, dum ſufficientem gratiam à ſtatu naturæ lapſæ reijcis, nullo modo Chriſtum pro reprobis mortuum eſſe ſentis; At Auguſtinus etiam pro reprobis Chriſtum Dominum ſanguinem profudiſſe ſuum clamat contra Judam inſignem reprobum, & Chriſti Domini proditorem in eam Sententiam: *Projecit* (Judas) *pretium argenti* (a) *quo ab illo Dominus venditus erat, nec agnovit pretium, quo ipſe à Dominò redemptus erat.*

Egregiè demum Sanctus Thomas Te convincit aureis hiſce verbis: *Homo Chriſtus Jeſus eſt mediator Dei, & hominum* (b) *non quorundam, ſed inter Deum, & omnes homines: & hoc non fuiſſet, niſi vellet omnes ſalvos.*

PROPOSITIO XIII.

Quando Deus vult animam ſalvam facere, & eam tangit interiori gratiæ ſuę manu, nulla voluntas humana ei reſiſtit.

Queſnellus Lucæ 5. 13. *editione* 1693.

HÆc propoſitio, quia nullam ſtatuit voluntatem humanam interiori gratiæ reſiſtere: ideò conſonat omnino ſecundæ Janſenii propoſitioni; cujus ea eſt Sententia: *In ſtatu naturæ lapſæ interiori gratiæ nunquam reſiſtitur.* Sed

(a) *In Pſalm.* 68. *ſerm.* 2. (b) *In* 1. *Timoth. cap.* 2. *Lection.* 1.

Digitized by Google

Sed ſecundam Janſenii propoſitionem Innocentius X. Summus Pontifex damnavit, & univerſa Eccleſia reprobavit: Igitur etiam XIII. Queſnellianam Janſenianæ conſonam damnet, ac reijciat neceſſe eſt.

Cum igitur hac in Theſi Queſnellus generatim pronunciet nullam humanam voluntatem gratiæ interiori reſiſtere; intelligat neceſſe eſt nulli gratiæ interiori voluntatem hominis refragari: Jamque apertè longè à Divina Scriptura, Sancto Auguſtino, ac Divo Thoma diſcrepare non dubitat. Cap. 24. enim Job legimus: *Dedit ei locum pęnitentiæ*, *& ipſe abutitur ad ſuperbiam*, & Apocalipſis 2. *dedit illi tempus*, *ut pœnitentiam ageret*, *& non vult pœnitere*.

Cum Deus tempus Peccatori det quo agat pœnitentiam: certè illum vult ſalvum facere; cum verò Peccator nolit agere pœnitentiam, (quoniam ſine interiori gratia neminen pęnitere poſſe Tridentina Synodus ſeſſ. *6.* can. 3. ſtatuit) gratiæ utique interiori, qua poteſt agere pœnitentiam, reluctatur.

Enchiridion Colonienſe titulo de Sacramentis Pœnitentiæ capite *His verò*, ait: *Haberent impii quod ſemper quererentur de ſua imbecillitate*, *niſi conſtaret Deum ſemper paratum eſſe ad infirmitatem noſtram per gratiam ſuam ſublevandam*, *modo ipſi inſpiranti obedire*, *ac juſtificanti*, *& adjuvanti conſentire*, *& obſequi velimus*.

Enchiridion declarat Deum velle impiis æternam donare felicitatem; ſed illi nolunt inſpirationi Dei, quæ quidem eſt interior gratia, conſentire.

Sanctus Auguſtinus egregiè Queſnellum convincit his verbis: *Ergo quantum in medico eſt*, *ſanare venit* (*a*) *Ægrotum*. *Ipſe ſe interimit*, *qui precepta Medici obſervare non vult*. *Venit Salvator ad Mundum: quare Salvator dictus eſt Mundi*, *niſi ut ſalvet Mundum? Salvari non vis ab ipſo*, *judicaberis*. Sa-

(a) *Tractat. 12. in Joannem*.

Sacer Doctor aſſerit Deum velle ſalutem reproborum; reprobos verò ſalutem ſuam negligere. Certè qui ſalvari non vult, interiori gratiæ, qua ſalvari poteſt, reſiſtit.

Divus Thomas lib. 3. contra Gentes cap. 159. ait: *Deus quantum in ſe eſt, paratus eſt omnibus gratiam dare; vult enim omnes homines ſalvos fieri, & ad cognitionem veritatis venire: ut dicitur 1. ad Timot. 2. Sed illi ſoli gratia privantur, qui in ſe ipſis gratiæ impedimentum præſtant; ſicut Sole Mundum illuminante in culpam imputatur ei, qui oculos claudit, ſi ex hoc aliquod malum ſequatur: licet videre non poſſit, niſi lumine ſolis præveniatur.* Quo Teſtimonio quid clarius, aut firmius excogitari poteſt ad elinguem reddendum Queſnellum?

PROPOSITIO XIV.

Quantumcumque remotus à ſalute ſit Peccator obſtinatus, quando Jeſus ſe videndum exhibet lumine ſalutari ſuę gratiæ, oportet ut ſe dedat, accurrat, ſe ſe humiliet, & adoret Salvatorem ſuum.

Queſnellus Marc. 5. 7. in edition. 1693.

SI Queſnellus per verbum illud *oportere* indicare duntaxat vellet, aliquando gratiam extraordinariam, qualem Deus Apoſtolo Paulo, & Mariæ Magdalenæ largitus eſt, moralem neceſſitatem Peccatori, ad reſipiſcendum afferre, licet valde à ſalute remotus ſit, atque pertinax: ad unum profectò omnes veritatem hanc prædicamus: At per verbum illud *oportere*, ſolam libertatem à coactione cum Queſnellus

nellus agnoſcat, quæ non confert ad meritum, & demeritum; indicat utique neceſſitantem gratiam, qualem tenebat Calvinus Janſenii, & Queſnelli Magiſter, ideoque hujuſmodi propoſitio longe abhorret à Catholica veritate, quæ ad meritum, & demeritum libertatem à neceſſitate immunem requirit. Nec dubitari poteſt quin hoc ſenſu Queſnellus loquatur, quippe qui aſſerat Peccatorem quantumcumque à ſalute remotum, & obſtinatum, citra illam extraordinariam gratiam, ſi ſe Jeſus videndum exhibeat ſalutari lumine ſuæ gratiæ; *oportere* ut ſe dedat, accurrat, ſe ſe humiliet, & adoret Salvatorem ſuum. Cum autem compertum ſit ex quacumque gratia neceſſitatem moralem ad conſentiendum nequaquam oriri; ſequitur, ut juxta Queſnellum neceſſitas iſtiuſmodi ad conſentiendum per quamcumque gratiam, atque adeo in Peccatore obſtinato non ſit moralis, ſed phyſica, præſertim cum idem Auctor nullam aliam gratiam, niſi ſolam efficacem agnoſcat, eamque prædicet in decima propoſitione ſua ab humano arbitrio, nec impediri poſſe, nec retardari.

Et quidem nemo eſt quin intelligat Judam ſuperno lumine divinæ, & uberrimæ gratiæ illuſtratum fuiſſe, cum Chriſtus Dominus ſe ſe illi non ſpectandum modo, ſed oſculandum etiam exhibuerit, blandis verbis ipſum excipiendo, ac benigne, & humaniſſime nominando amicum, ac dicendo, *Amice ad quid veniſti?* Quantam ſalutaris gratiæ lucem affuderit Judæ Chriſtus Dominus, cum ad illius pedes eſt provolutus, ut ejus non tàm corporis, quàm animæ ſordes abſtergeret! Et tamen pertinax, atque perfidus, nec ſe dedit gratiæ, nec ſe humiliavit, nec adoravit Salvatorem ſuum, ſed triginta argenteis venditum tradidit illum ſuis hoſtibus crucifigendum.

Hæc demum eſt ſumma Concluſionis. Duabus quidem, juſtiſſimiſque de cauſis hæc Theſis refellitur; primum, quia gratiam neceſſitantem admittit Queſnellus, quam Conciliis

genera-

generalibus, divinæque Scripturæ abſonam in decimæ Theſis confutatione oſtendimus: ſecundo quia ſolam gratiam efficacem agnoſcit, ſufficientem verò negat, atque, quod ad hanc partem ſpectat, eandem Theſim ſcripturis, & Conciliis inimicam in confutatione ſecundæ propoſitionis deteximus, patefecimus, redarguimus.

Hanc ſanè Theſim ob eam cauſam refellendam ſtatuo, quia gratiam approbat, quæ libero arbitrio ſimplicem imponat neceſſitatem.

Verum enim verò efficacem gratiam nihil ſimplicis neceſſitatis humanæ voluntati imponere teſtatur œcumenica Tridentina Synodus in eam Sententiam: *ſi quis dixerit* (*a*) *liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum nihil cooperari aſſentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quoad obtinendam juſtificationis gratiam ſe diſponat, ac præparet, neque poſſe diſſentire, ſi velit, ſed velut inanime quoddam nihil omnino agere, merèque paſſivè ſe habere; anathema ſit.*

Quodſi e Sententia Tridentinæ Synodi liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum cooperatur aſſentiendo Deo excitanti, atque vocanti: Certè hujuſmodi gratia efficax eſt: ſi Deo excitanti, atque vocanti diſſentire poteſt, ſi velit: efficax utique gratia noſtro arbitrio libertatem à coactione, ac ſimplici neceſſitate immunem relinquit.

Præterea dum Queſnellus gratiam neceſſitantem approbat; inhæret ſine controverſia in eodem luto, in quo Janſenius, cujus tertiam hanc propoſitionem: *ad merendum, & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ, non requiritur in homine libertas à neceſſitate, ſed ſufficit libertas à coactione*, Innocentius X. Summus Pontifex damnavit, & univerſa Eccleſia, plaudente Gallia reprobavit.

Sanctus quoque Auguſtinus Queſnellianam iſtam propoſitionem apertè refellit, ac reijcit in eam Sententiam: *Niſi quiſque voluntatem mutaverit, bonum operari non poteſt, quod in*

(a) *Seſſ.6. can.4.*

in noſtra poteſtate (a) eſſe poſitum alio loco Dominus docet, ubi ait: aut facite arborem bonam, & fructum ejus bonum; aut facite arborem malam, & fructum ejus malum. Quod non eſt contra gratiam Dei, quam prædicamus; In poteſtate quippè hominis eſt mutare in melius voluntatem, ſed ea poteſtas nulla eſt, niſi detur à Deo, de quo dictum eſt; dedit eis poteſtatem Filios Dei fieri.

Quam quidem veritatem etiam idem Sacer Doctor lib. 2. de Actis cum Felice Manichæo docuit ita (*b*) *cum ergo* (Dominus) *dicit, aut hoc facite, aut illud facite; poteſtatem indicat, non naturam. Nemo enim, niſi Deus facere arborem poteſt, ſed habet unuſquiſque in voluntate ſua, aut eligere quæ bona ſunt, & eſſe arbor bona, aut eligere quæ mala, & eſſe arbor mala.*

Hæc verò Divi Auguſtini ineluctabilia teſtimonia luculentèr oſtendunt humani arbitrii libertatem tum à coactione, tum verò etiam ab ea neceſſitate immunem, atque ſolutam, quam Lutherus, Calvinus, Janſenius, & Queſnellus tuentur.

Sanctus denique Thomas Queſnellianam Theſim vehementèr oppugnat, ac penitùs evertit. Quærit enim Sanctus Doctor *utrum homo* (*c*) *habeat liberam electionem ſuorum actuum, aut ex neceſſitate eligat. Dicendum* (inquit) *quod quidam poſuerunt quod voluntas hominis ex neceſſitate movetur ad aliquid eligendum; nec tamen ponebant, quod voluntas cogeretur. Non enim omne neceſſarium, eſt violentum, ſed ſolum id, cujus principium eſt extra. Hæc autem opinio eſt hæretica: tollit enim rationem meriti, & demeriti in humanis actibus; non enim videtur eſſe meritorium, vel demeritorium, quod aliquis ſic ex neceſſitate agit, quòd vitare non poſſit.*

PRO-

(a) *Lib. 1. retractation. cap. 22.* (b) *Lib. 2. cap. 4. de Actis cum Felice Manichæo.*
(c) *Qu. 6. de malo artic. unico.*

PROPOSITIO XV.

Quando Deus mandatum ſuum, & ſuam æternam locutionem comitatur unctione ſui ſpiritus, & interiori vi gratiæ ſuæ, operatur illa in corde obedientiam, quam petit.

Queſnellus Lucæ 9. 60. editione 1693. & 1699.

E Sententia Queſnelle tua, quando Deus Mandatum ſuum interiori vi gratiæ comitatur; operatur illa in corde obedientiam, quam petit: ſentias ergo neceſſe eſt iis, qui Mandata Divina violant, nullam prorsùs gratiam adeſſe; non efficacem, quam Tu nobiſcum fateris Divinæ Legis deeſſe violatoribus; non ſufficientem, quam ipſe ſolus à naturæ lapſæ conditione toties ablegaſti: Cum autem ſine ulla gratia, Divina Præcepta, ſicut oportet, ſervari nequeant, ut ex Concilio Tridentino (*a*) conſtat; Sequitur e Sententia tua, ut à Deo illi ad impoſſibilia obligentur. Atque ob eam cauſam ſubijceris anathemati Generalis Concilii Tridentini; Quod ſic generatim definit. *Deus impoſſibilia non jubet* (*b*) *ſed jubendo monet, & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adjuvat ut poſſis. Cujus* (*c*) *mandata gravia non ſunt, cujus* (*d*) *jugum ſuave eſt, & onus leve.*

Præterea Queſnellus in errorem labitur Bay dicentis: *definitiva hac ſententia Deum homini nihil impoſſibile præcepiſſe, falsò tribuitur Auguſtino, cum ſit Pelagii.* Hanc verò 54. Bay propoſitionem Sanctus Pius V. damnavit, & univerſa Eccleſia reprobavit.

Quid? quod Queſnellus longè à ſententia diſcrepat Auguſtini clamantis: *dubitare* (*e*) *non poſſum, nec Deum aliquid impoſſi-*

(a) *Seſſion. 6. de juſtificat. can. 3.* (b) *Seſſ. 6. cap. 11.* (c) *Joa. 5.* (d) *Math. 11.* (e) *Lib. 2. de peccator. meritis. c. 6.*

impoſſibile homini præcepiſſe, nec Deo adopitulandum, & adjuvandum, quo fiat, quod jubet, impoſſibile aliquid eſſe; ac per hoc poteſt homo, ſi velit, eſſe ſine peccato, adjutus à Deo.

Sanctus demum Thomas explicans verba illa: *Fidelis Deus* (*a*) *per quem vocati eſtis in ſocietatem filii ejus*, addit: *non videretur eſſe fidelis Deus, ſi nos vocaret ad ſocietatem Filii; & nobis denegaret, quantum in ipſo eſt, ea, per quæ pervenire ad eum poſſemus; Unde Joſue 1. dicit: non Te deſeram, neque derelinquam.*

PROPOSITIO XVI.

Nullæ ſunt illecebræ, quæ non cedant illecebris gratiæ, quia nihil reſiſtit Omnipotenti.

Queſnellus Act. 8. 12. *edition.* 1693. & 1699.

HÆc propoſitio omnino conſonat ſecundæ Theſi Janſenii, quæ ità ſe habet. *In ſtatu naturæ lapſæ interiori gratiæ nunquam reſiſtitur.*

Cum autem ſecundam Janſenii propoſitionem Innocentius X. Summus Pontifex damnaverit ut hæreticam, eamque Gallia tota cum univerſa Eccleſia tanquam hæreticam rejecerit; XVI. quoque Queſnelli propoſitionem, utpote ſecundæ Janſenii prorſus conſonam univerſa Chriſti Eccleſia ore pleno condemnat.

Dum igitur Queſnellus generatim aſſerit nullas eſſe illecebras, quæ non cedant illecebris gratiæ; intelligat neceſſe eſt omnis gratiæ illecebris humanam cedere volun-

(a) *In cap. 1. Epiſt. 1. ad Corint. lect. 1.*

tatem: Cum verò præter efficacem gratiam, quæ à nullo duro corde reſpuitur, Sacra Scriptura, Generalis Tridentina Synodus, Sanctus Auguſtinus, ac Divus Thomas gratiam ſufficientem, cui liberum arbitrium ſuapte malitia reluctatur, una eademque mente, ac voce prædicent; turpiter Queſnellus, ac longè à recto veritatis tramite aberret neceſſe eſt. Hinc enim Sacra Scriptura Proverb. 1. *vocavi* (inquit) *& renuiſtis*.

Concilium verò Tridentinum ità declarat: *In Dei auxilio firmiſſimam ſpem collocare*, (*a*) *& reponere omnes debent*: *Deus enim*, *niſi ipſi illius gratiæ defuerint*, *ſicut cœpit opus bonum*, *ità perficiet*.

Cum itaque dicat Synodus *omnes in Dei auxilio firmiſſimam ſpem collocare debere*; luculenter ſanè interiorem excitantem, ſeu prævenientem gratiam indicat.

Cum verò ea verba proferat: *niſi ipſi Dei gratiæ defuerint*; ſupponit profectò aliquam gratiam interiorem prævenientem, ac excitantem, cui liberum reſiſtit arbitrium.

Sanctus Auguſtinus ità reprobos, & contumaces redarguit: *Cor eorum* (inquit) *congelaſcit adverſus Deum* (*b*) *& fit durum adverſus imbrem gratiæ ipſius*, *ne fructum ferat*.

Rurſus idem Sacer Doctor ſic: *Ad illam Cœnam*, *quam Dominus dicit in Evangelio præparatam*, *nec omnes qui vocati ſunt*, *venire voluerunt*: *neque illi*, *qui venerunt*, *venire poſſent*, *niſi vocarentur*. (*c*) *Itaque nec illi debent ſibi tribuere qui venerunt*, *quia vocati venerunt*; *nec illi*, *qui noluerunt venire*, *debent alteri tribuere*, *ſed tantum ſibi*; *Quoniam ut venirent vocati*, *erant in libera voluntate*. *Vocatio ergo ante meritum voluntatem operatur*. *Propterea & ſi quiſquam ſibi tribuit quòd venit vocatus*, *non ſibi poteſt tribuere*, *quòd vocatus eſt*. *Qui autem vocatus non venit*, *ſicut non habuit meritum præmii*, *ut vocaretur*, *ſic incboat meritum ſupplicii*, *cum vocatus venire neglexerit*.

Præ-

(a) *Seſſ.6. cap.13.* (b) *In pſal.124.* (c) *Lib. de diverſ. qu.83. qu.68.*

Præclariſſimum hujuſmodi teſtimonium duo luculenter indicat, *primùm*, non omnem ſcilicet vocationem eſſe efficacem, quia multi vocati non veniunt: *ſecundum*, omnes vocatos habere ſufficiens auxilium ad veniendum; nam ideò juſtè puniri eos dicit Auguſtinus, qui vocati venire negligunt; quia venire poterant, cum hoc eſſet in eorum libera voluntate, ut venirent, vel non venirent, poſteaquam per vocationem Divinam veniendi vires acceperant.

Cum igitur Auguſtinus dicat *ſine vocatione eos, qui vocati erant, venire non potuiſſe*; intelligit profectò vocationem illam, vel eſſe vocationem interioris gratiæ, vel eſſe vocationem externam, conjunctam tamen gratiæ interiori, ſine qua interiori gratia Auguſtinus toties contra Pelagianos, nec non Arauſicana ſecunda Synodus, ac Tridentinum Generale Concilium definiverunt non poſſe opus æternæ vitæ meritorium patrari. Cum verò idem Sacer Doctor addat *eos, qui vocati erant, neglexiſſe venire*, cla re nobis oſtendit eos vocationi, atque illecebris interioris gratiæ non ceſſiſſe.

Divus tandem Thomas interpretans locum illum Beati Pauli, *exhortor vos, ne in vacuum* (a) *gratiam Dei recipiatis*; ſuam ità Sententiam aperit: *Ne receptio gratiæ ſit vobis inutilis, & vacua, quod tunc contingit, quando ex perceptione gratiæ quis non ſentit fructum, qui quidem duplex eſt, ſcilicet remiſſio peccatorum, Iſaiæ 27. Hic eſt omnis fructus &c. & ut homo juſtè vivendo perveniat ad gloriam cæleſtem. Roman. 6. Habetis fructum veſtrum &c. Quicumque ergo gratiâ perceptâ non utitur ad vitandum peccata, & conſequendum vitam æternum, hic gratiam Dei in vanum recipit.*

Hoc ſanè Doctoris Angelici teſtimonium indicat, & oſtendit Deum largiri humano arbitrio excitantem, ſeu prævenientem ſufficientem gratiam, cujus illecebris nequaquam liberum humanæ voluntatis cedit arbitrium.

(a) 2. *Corint. cap.6. lect.1.*

PROPOSITIO XVII.

Gratia eſt vox illa Patris, quæ homines interius docet, ac eos venire facit ad Jeſum Chriſtum: Quicumque ad eum non venit, poſteaquam audivit vocem exteriorem filii, nullatenus eſt doctus à Patre.

Queſnellus Joannis 6. 45. editione 1693. & 1699.

TUm Chriſtus Dominus omnibus hominibus, quin vel unum excipiat, fidem præcipit in eam ſententiam: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit* (*a*) *ſalvus erit, qui verò non crediderit, condemnabitur*: Tum œcumenica Tridentina Synodus neminem poſſe ſine gratiæ adjutorio credere definit his verbis: *Si quis dixerit ſine præveniente Spiritus Sancti inſpiratione, atque ejus adjutorio hominem credere, diligere,* (*b*) *aut pœnitere poſſe, ſicut oportet, ut ei juſtificationis gratia conferatur, anathema ſit.*

Quibus fundamentis jactis, Tecum Queſnelle ità mihi liceat diſputare. E ſententia quidem tua quicumque ad Chriſtum non venit, poſtquam audivit exteriorem vocem filii; nullatenus eſt doctus à Patre. Cum autem vel ipſe fatearis multos, poſtquam exteriorem filii vocem per Evangelii præcones audiverunt, nequaquam ad Chriſtum venire, quod in Chriſtum non credant: ſentias ergo neceſſe eſt, illos à Patre nullatenus eſſe doctos, ideòque nullam prorsùs gratiam obtinuiſſe, non *efficacem*, alioquin venirent, neque *ſufficientem*, quia Tu illam funditus in ſecunda tua, & undecima Propoſitione repudias.

Verum enim verò ex una parte Chriſtus Dominus Marci cap. 16. omnibus ad unum fidem præcipit, ac Tridentina Syno-

(a) *Marci cap. 16.* (b) *Seſſ. 6. can. 3.*

Synodus ſeſſion. 6. can.3., ut ſupra memoratum eſt, neminem poſſe ſine gratiæ adjutorio credere ſtatuit: ex alia verò parte ipſemet ore pleno prædicas eos, qui non veniunt ad Chriſtum, nullatenus eſſe doctos à Patre; ideòque nullam gratiam habuiſſe. Sentias ergo neceſſe eſt Deum illis præcepiſſe impoſſibilia, manifeſtòque propterea refragaris Tridentinæ Synodo Generali, quæ ſeſſione 6. cap.11. generatim ità ſtatuit, ac declarat: *Deus impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet, & facere quod poſsis, & petere quod non poſsis, & adjuvat ut poſsis, cujus mandata gravia non ſunt, cujus jugum ſuave eſt, & onus leve.*

Longè inſuper diſcrepas à ſententia Sancti Auguſtini, qui ità ſentit, ut ſcribit: *Firmiſſimè creditur* (a) *Deum juſtum, & bonum impoſſibilia non potuiſſe præcipere*. Nec non Sanctus Thomas cum magno Auguſtino contra Queſnellum conſpirat in eam ſententiam: *Quod præcepit Deus*, (b) *non eſt impoſſibile homini ad ſervandum.*

(a) *Lib. de natura, & gratia cap.69.* (b) *De veritat. qu.24. art.4. ad 1.*

PROPOSITIO XVIII.

Semen verbi, quod manus Dei irrigat, ſemper affert fructum ſuum.

Queſnellus Act. 11. 29. *editione* 1693. & 1699.

QUàm longè à veritate aberret in hac propoſitione Queſnellus, quòd afferat ſemen Verbi, quod manus Dei irrigat, ſemper afferre fructum ſuum; Clarè oſtendit Parabola illa Chriſti Domini, quæ indicat ſemen Verbi à Deo aliquando, imo ſæpè ſine fructu irrigari. Recito jam integram Parabolam Lucæ 8. quæ ità habet: *Exiit qui ſeminat, ſeminare ſemen ſuum, & dum ſeminat, aliud cecidit ſecus viam, & conculcatum eſt, & volucres Cæli comederunt illud, & aliud cecidit ſupra Petram, & natum aruit, quia non habebat humorem, & aliud cecidit inter ſpinas, & ſimul exortæ ſpinæ ſuffocaverunt illud, & aliud cecidit in terram bonam, & ortum, fecit fructum centuplum.*

Poſtquam Chriſtus Dominus hujuſmodi Parabolam Diſcipulis ſuis protulit, pergit eam declarare in hanc ſententiam: *Eſt autem hæc Parabola: ſemen eſt verbum Dei; quod autem ſecus viam, hi ſunt qui audiunt. Deindè venit Diabolus, & tollit verbum de corde eorum, ne credentes ſalvi fiant. Nam quod ſupra Petram, hi ſunt qui cum audiverint, cum gaudio ſuſcipiunt verbum, & hi radices non habent, quia ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt; Quod autem in ſpinas cecidit, hi ſunt qui audierunt, & à ſolicitudinibus, & divitiis, & voluptatibus vitæ euntes ſuffocantur, & non referunt fructum. Quod autem in bonam terram, hi ſunt qui in corde bono, & optimo audientes verbum retinent, & fructum afferunt in patientia.*

Quicumque igitur hanc parabolam Chriſti Domini ſedulo, dili-

diligenterque perpenderit; intelliget profectò ſemen Verbi, quod manus Dei irrigat, non ſemper afferre fructum ſuum, ut falsò contra manifeſtam Scripturæ vocem clamat Queſnellus.

Prætereà hæc propoſitio omnino conſonat ſecundæ Theſi Janſenii, cujus hæc eſt Sententia: *Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur.*

Si enim ſemen Verbi, quod manus Dei irrigat, ſemper affert fructum ſuum; ſequitur illicò interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſti. Verum enim verò ſecundam iſtam Janſenii propoſitionem tum Innocentius X. Summus Pontifex damnavit, tum verò univerſa Eccleſia reprobavit. Eadem igitur ratione XVIII. etiam Queſnelli Theſim ſecundæ Janſenianæ omnino conſonam univerſalis Eccleſia meritò execratur.

Cum verò hac in Theſi Queſnellus generatim afferat ſemen Verbi, quod manus Dei irrigat, ſemper afferre fructum ſuum; intelligat neceſſe eſt nulli omnino interiori gratiæ liberum unquam arbitrium diſſentire.

At Scriptura, Concilia, S.Auguſtinus, ac D. Thomas præter efficacem gratiam, approbant quoque ſufficientem gratiam, cui liberè voluntas hominum refragatur. Turpitèr ergo Queſnellus hallucinetur oportet.

Scriptura enim ità refellit Queſnellum: *Vocavi, & (a) renuiſtis.* Dum vocat Deus, vocat profectò vocatione, cui reſpondere poſſint vocati. Cum autem ſine vocatione interioris gratiæ nemo reſpondere poſſit, opus videlicet quod ad æternam ſalutem ſpectat patrando, ut contra Pelagianos Auguſtinus toties, Arauſicana ſecunda Synodus, ac Melevitana, Epheſinum primum epiſtola ad Cęleſtinum Papam, ac Tridentinum (*b*) œcumenica Concilia ſtatuerunt. Ergo Deus vocat vocatione gratiæ interioris, quæ quidem non eſt efficax, ſed ſufficiens, cum renuant, qui vocantur.

(a) *Proverb.* 1. [b] *Seſſ.6. can.3.*

Concilium Tridentinum generale ſeſſion. 6. cap. 11. inquit *eos qui ſobriè, juſtè, & piè vivunt, proficere poſſe per Chriſtum Jeſum, per quem acceſſum habuerunt in gratiam iſtam. Deus namque ſua gratia ſemel juſtificatos non deſerit, niſi ab eis priùs deſeratur.*

Jam ſatis conſtat juſtificatum ſine actualis excitantis, & adjuvantis gratiæ auxilio *non poſſe proficere*. Cum autem Synodus affirmet *piè, & ſobriè viventes poſſe proficere per Jeſum Chriſtum*, ſtatimque iſtam cauſam afferat: *Deus namque ſua gratia ſemel juſtificatos non deſerit, niſi ab eis prius deſeratur*: adjutorium utique actualis excitantis gratiæ prædicat. Cum verò pronunciet *Deum non deſerere, niſi prius deſeratur*; ſupponit ſufficientem gratiam, cui liberum arbitrium refragatur.

Adverſus hanc propoſitionem Queſnellianam, recitare libet Concilium Colonienſe, quod ità declarat:

Quamquam nemo convertatur ad Dominum, niſi tractus per Patrem; attamen nemo hìc excuſationem prætexat, quòd non trahatur; Cum ille ſemper ſtet ante oſtium pulſans, nimirum per internum, & externum verbum, commonens, ut convertamur à via noſtra (a) peſſima.

E ſententia itaque hujus Concilii, *cum Deus ſemper ſtet ante oſtium pulſans per internum verbum*; reluctantur profectò interiori ſufficienti gratiæ quotquot *excuſationem, quòd non trahantur, prætexunt.*

Huc accedit graviſſima magni Auguſtini auctoritas, qui lib. 1. ad Simplicianum ſic de Eſau loquitur: *noluit Eſau, & non cucurrit, ſed & ſi voluiſſet, & cucurriſſet, Dei adjutorio perveniſſet, qui ei etiam velle, & currere vocando præſtaret, niſi vocatione contempta (b) reprobus fieret.*

Cum ratum, firmumque, ac fide contra Pelagianos certum, definitumque ſit ſine vocatione interioris gratiæ neminem poſſe opus æternæ vitæ meritorium efficere; ſequitur ut ea voca-

(a) *Part. 1. cap. 32.* (b) *Lib. 1. ad Simplicianum qu. 2.*

vocatio, qua Eſau currere potuiſſet, ſi voluiſſet; vocatio interioris gratiæ fuerit. Sed hanc vocationem Eſau contempſit, ideoque gratiæ ſufficienti diſſenſit. Divus tandem Thomas coronidem ſic imponit. *Quicumque gratia (a) percepta non utitur ad vitandum peccata, & conſequendum vitam æternam, hic gratiam Dei in vanum recipit.*

Toto igitur Cœlo aberras Queſnelle, dum aſſeris ſemen Verbi, quod manus Dei irrigat, ſemper afferre fructum ſuum.

PROPOSITIO XIX.

Dei gratia nihil aliud eſt, quàm ejus Omnipotens voluntas. Hæc eſt idea, quam Deus ipſe nobis tradit in omnibus ſuis Scripturis.

Queſnellus Rom. 14. 4. *editione* 1693.

QUamquam hæc Theſis adeò eſt ambigua, ut ſpeciem quoque, & formam bonam videatur incautis adumbrare; qui haud ſatis ſciunt quantæ ſint in animis hominum latebræ: Alia tamen ex alia tam affabre nectitur; ut claris obſcura quæque, certis ambigua ſint pernoſcenda. Dum enim Queſnellus indefinitè, ac generatim ſtatuit gratiam *Omnipotentem*; nonne hoc loco ſtudet obſcurre ferre, quod luculenter jam in propoſitione IX. expreſſerat? Cujus hæc eſt ſententia: *Gratia Chriſti eſt gratia ſuprema, ſine qua confiteri Chriſtum nunquam poſſumus, & cum qua nunquam illum abnegamus.*

Cum

(a) Corint. cap. 6. Lect. 1.

Cum igitur nona Theſis apertè indicet, ac ſimpliciter eam eſſe gratiam, *cum qua Chriſtum nunquam abnegamus*, & propoſitio hæc XIX. generatim prædicet gratiam eſſe *Omnipotentem*; quid aliud, quæſo, ſibi vult iſtud vocabulum *Omnipotens*, quàm ut oſtendat clarè, ac patefaciat eam eſſe quamcumque gratiam, ut illi nunquam in ſtatu naturæ lapſæ humanum reſiſtat arbitrium: qualem profectò Janſenius in ſecunda ſua propoſitione tuebatur.

Verum enim verò Theſim illam Janſenii tum Innocentius X. Summus Pontifex damnavit; tum univerſa Eccleſia reprobavit. Tuam igitur etiam propoſitionem iſtam Queſnelle Theſi Janſenii conſonam, ac ſimillimam tota Eccleſia perhorreſcit.

Præterea dum hìc affirmas gratiam nihil aliud eſſe, quàm voluntatem Dei Omnipotentem; ſubobſcurè gratiam iſtiuſmodi eſſe ità Omnipotentem deſcribis, ut illam nequeat humanum arbitrium impedire, vel retardare; qualem profectò in tua decima Propoſitione clarè, luculenterque repræſentáveras. Ut enim corporum contagio, vel umbra ſolet obeſſe corporibus; ità planè propoſitionem XIX., ſuapte pravitate decima Theſis imbuit, atque polluit. Quamobrem minime mirum eſt, ſi miſerandum in modum defluas in turpiſſimum errorem Lutheri effutientis temerè gratiæ humanum arbitrium diſſentire non poſſe. Sed Lutherum Præceptorem tuum, Teque ipſius aſſeclam, ac diſcipulum Tridentina Synodus œcumenica jure merito condemnat in eam ſententiam: *Si quis dixerit* (*a*) *Liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum nihil cooperari aſſentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quoad obtinendam juſtificationis gratiam ſe diſponat, ac præparet:* NEQUE POSSE DISSENTIRE, SI VELIT; *Sed velut inanime quoddam nihil omnino agere, merèque paſſivè ſe habere, anathema ſit.*

Rur-

(a) *Seſſ. 6. de juſtificatione can. 4.*

Rurſus idem Concilium ità Queſnellum elinguem reddit: *Declarat præterea* (Synodus) *ipſius juſtificationis exordium* (*a*) *in adultis à Dei per Chriſtum Jeſum præveniente gratia ſumendum eſſe, hoc eſt ab ejus vocatione, qua nullis eorum exiſtentibus meritis vocantur; ut qui per peccata à Deo averſi erant, per ejus excitantem, atque adjuvantem gratiam ad convertendum ſe ad ſuam ipſorum juſtificationem, eidem gratiæ liberè aſſentiendo, & cooperando diſponantur: ità ut tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem, neque homo ipſe nihil omnino agat inſpirationem illam recipiens: QUIPPE QUI ILLAM ET ABIJCERE POTEST.*

Proh! quam longè iſta idea gratiæ, quam Tu Queſnelle tradis, abhorret ab illa vera idea gratiæ, quam Deus ipſe nobis ore generalis Tridentinæ Synodi tradit in omnibus ſuis Scripturis.

PROPOSITIO XX.

Vera gratiæ idea eſt quòd Deus vult ſibi à nobis obediri, & obeditur, imperat, & omnia fiunt, loquitur tanquam Dominus, & omnia ſibi ſubmiſſa ſunt.

Queſnellus Marc. 4. 39. *editione* 1693. & 1699.

HÆc propoſitio Queſnelliana omnino conſonat ſecundæ Theſi Janſenii, cujus hæc eſt ſententia: *Interio-*

(a) *Seſſione 6. de juſtificatione cap. 5.*

teriori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur. Hanc verò Janſenianam Theſim tum Innocentius X. Summus Pontifex damnavit: tum verò univerſa Eccleſia reprobavit. Sequitur igitur ut hujuſmodi propoſitionem Queſnellianam ſecundæ Janſenianæ Theſi penitus conſonam tota condemnet, ac deteſtetur Eccleſia.

Jam verò iterum hoc loco Queſnellus efficacem duntaxat gratiam, quæ à nullo duro corde reſpuitur, ſic approbat, ut ſufficientem gratiam, cui liberè ſuaptè culpa diſſentit humanum arbitrium, ſtudeat pro virili parte à naturæ lapſæ finibus exterminare, quippè qui eam gratiæ ideam ſtatuit, *ut Deus velit ſibi à nobis obediri, & obediatur, imperet, & omnia fiant.*

Verum enim verò ſufficientem gratiam Sacra Scriptura contra Queſnellum, Sanctus Auguſtinus, ac Divus Thomas paſſim altius prædicant, quam ſi vel tonitru perſonarent. Beatus enim Paulus obſtinatum ità coarguit: *Benignitas Dei ad pęnitentiam Te adducit: Tu autem ſecundum duritiem tuam, & impęnitens cor* (*a*) *Theſaurizas tibi iram in die iræ.*

Benignitas verò Dei ſine gratiæ interioris adjutorio non adducit ad pœnitentiam, ut contra Pelagianos firmiter Orthodoxa credit Eccleſia. Et tamen ille, quem benignitas Dei per interiorem gratiam adducit ad pœnitentiam, gratiæ interiori reſiſtit ſecundum impœnitens cor ſuum, ac ſibi theſaurizat iram in die iræ.

Hæc igitur gratia, quam liberè voluntas humana reſpuit, nequaquam efficax, ſed ſufficiens habenda eſt. Sanctus Auguſtinus ſic aperit ſuam clarè Sententiam: *Cum voluntate humana, gratia adjuvante Divina ſine peccato in hac vita poſſit homo eſſe;* (*b*) *cur non ſit; poſſem facillimè, ac veracisſimè reſpondere, quia homines nolunt.*

Quodſi ex Auguſtini Sententia gratia adjuvante Divina ſine

(a) 2. *ad Roman.* (b) 2. *Lib. de peccator. meritis, & remiſſ. cap.* 17.

ſine peccato in hac vita homines poſſint eſſe; nec tamen ſunt; certè hujuſmodi gratia non eſt efficax, ſed ſufficiens, cui liberè nolunt homines conſentire.

Sanctus denique Thomas Doctor Angelicus interpretans locum illum Beati Pauli; *Exhortor vos, ne in vacuum gratiam* (*a*) *Dei recipiatis*: ità nos docet: *Ne receptio gratiæ ſit vobis inutilis, & vacua, quod tunc contingit, quando ex* (*b*) *perceptione gratiæ quis non ſentit fructum, qui quidem duplex eſt, ſcilicet remiſſio peccatorum. Iſaiæ 27. hic eſt omnis fructus &c., & ut homo juſtè vivendo perveniat ad gloriam cæleſtem. Roman. 6. Habetis fructum veſtrum. Quicumque ergo gratia percepta non utitur ad vitandum peccata, & conſequendum vitam æternam, hic gratiam Dei in vanum recipit.*

Hoc ſanè loco Doctor Angelicus oſtendit Deum largiri humano arbitrio prævenientem, ſeu excitantem interiorem gratiam ad vitanda peccata, & ad opera æternæ felicitatis meritoria patranda; cui tamen voluntas hominis liberè refragatur.

Sacra igitur Scriptura, Sanctus Auguſtinus, ac Divus Thomas ſufficientem gratiam ore pleno, eademque voce comprobant, quam Tu Queſnelle mordicus pernegas.

PRO-

(a) 2. *Corint.* 6. (b) 2. *Corint. cap.* 6. *Lect.* 1.

PROPOSITIO XXI.

Gratia Jeſu Chriſti eſt gratia fortis, potens, ſuprema, invincibilis, utpote quæ eſt operatio voluntatis Omnipotentis, ſequela, & imitatio operationis Dei incarnantis, & reſuſcitantis filium ſuum.

Queſnellus 2. ad Corint 5. 21. editione 1693.

CUm hac in Theſi Queſnellus gratiam eam eſſe ſtatuat, ac definiat, cui liberum non poſſit arbitrium diſſentire; manifeſtò utique refragatur generali Synodo Tridentinæ, quæ ſeſſione 6. canone 4. Lutherum, atque Calvinum Queſnelli Magiſtros, nec non Queſnellum, ejuſdemque Aſſeclas, ac Diſcipulos Queſnellianos diris devovet in eam Sententiam: *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum nihil cooperari aſſentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quoad obtinendam juſtificationis gratiam ſe diſponat, ac præparet, neque poſſe diſſentire, ſi velit, ſed velut inanime quoddam nihil omnino agere, merèque paſſivè ſe habere, anathema ſit.*

Præterea hæc propoſitio Queſnelliana nequaquam ſanè abhorret à tertia Janſeniana, quæ ità ſe habet: *Ad merendum, & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ, non requiritur in homine libertas à neceſſitate, ſed ſufficit libertas à coactione.*

Hanc verò Janſenianam Theſim tum Innocentius X. Summus Pontifex damnavit; tum verò univerſa reprobavit Eccleſia. Ergo etiam Queſnellianam iſtam Janſenianæ conſonam improbat, ac execratur.

Ad

Ad hæc pugnas Queſnelle manifeſtò cum Sancto Auguſtino qui ità ſentit: *Rerum duo genera, æternarum, & temporalium, duoque rurſus hominum, aliorum æternas, aliorum temporales ſequentium, & diligentium (a) ſatis, apertèque diſtincta ſunt: Quid autem quiſque ſectandum, & amplectendum eligat, in voluntate eſſe poſitum conſtitit.*

Rurſus idem ſic: *in noſtra poteſtate eſt, ut vel inſeri bonitati Dei, vel excindi ejus (b) ſeveritate mereamur.* Item: *Habet anima in poteſtate, ut quædam mala ſubſtantia vel ſit, vel non ſit.* (c)

Idem tandem Sacer Doctor ſic prædicat contra Fęlicem Manichæum: *Habet unuſquiſque in voluntate, aut eligere quæ bona ſunt, & eſſe arbor bona, aut eligere (d) quæ mala, & eſſe arbor mala &c. Hoc ergo Dominus dicens, aut facite illud, aut facite illud, oſtendit eſſe in poteſtate quòd facerent; & quia, ſi bonum eligerent, pręmium ejus acciperent; ſi malum eligerent, pœnam ejus ſentirent.*

Quodſi ex Auguſtini Sententia in noſtra poteſtate eſt conſentire, vel non conſentire; ſi eſt in poteſtate noſtra, vel inſeri bonitati Dei, vel excindi ejus ſeveritate: ſi habet anima in poteſtate ut quædam mala ſubſtantia ſit, vel non ſit; ſequitur illicò ut efficaci gratiæ diſſentire, & eſſe mala ſubſtantia queat; poteſt ergo gratiam efficacem reſpuere, & Dei ſeveritate excindi, & eſſe arbor mala; atque ob eam cauſam non eſt ità invincibilis gratia, quemadmodum falsò Queſnellus putat, ut liberum eidem nequeat arbitrium diſſentire.

Angelicus tandem Doctor egregiè Queſnellum elinguem reddit in eam Sententiam: *Quidam poſuerunt, quòd voluntas hominis ex neceſſitate movetur ad aliquid eligendum, nec tamen (e) ponebant, quod voluntas cogeretur: Hæc autem opinio eſt hæretica: tollit enim rationem meriti, ac demeriti* in

(a) *Lib.* 1. *de libero arbitrio cap.* 16. (b) *Lib.* 1. *retractation. cap.* 22. (c) *Lib. contra Secundinum cap.* 13. (d) *Lib.* 2. *cap.* 4. (e) *S. Thomas qu.* 6. *de malo.*

in humanis actionibus ; non enim videtur eſſe meritorium, aut demeritorium, quod aliquis ſic ex neceſſitate agit, quod vitare non poſſit.

Hoc loco Sanctus Thomas manifeſtò declarat libertatem à coactione, & à neceſſitate immunem : atque ob eam cauſam gratia efficax neque cogit liberum arbitrium, nec ſuavi rapit neceſſitate.

PROPOSITIO XXII.

Concordia Omnipotentis operationis Dei in corde hominis cum libero ipſius voluntatis conſenſu demonſtratur illicò nobis in Incarnatione, velut in fonte, atque Archetypo omnium aliarum operationum miſericordiæ, & gratiæ, quæ omnes ità gratuitæ, atque ità dependentes à Deo ſunt, ſicut ipſa originalis operatio.

Queſnellus Luc. 1. 38. *edition.* 1693. *&* 1699.

HÆc propoſitio Queſnelle tua manifeſtè cum Tridentina generali Synodo pugnat. Cum enim aſſeras concordiam Omnipotentis operationis Dei in corde hominis cum libero ipſius voluntatis conſenſu demonſtrari illicò nobis in Incarnatione velut in fonte, atque Archetypo omnium aliarum operationum miſericordiæ, & gratiæ; ſentias profectò neceſſe eſt, quemadmodum aſſumpta humanitas nihil agit, merèque paſſivè ſe habet ad hypoſtaticam unionem, quam ſolus Deus in Incarnatione pro-

du-

ducit; ità voluntatem humanam nihil quicquam agere, merèque paſſivè ſe habere ad conſenſum, quem operatio Dei in corde hominis operatur; & quemadmodum humanitas aſſumpta nequit impedire operationem Dei producentis hypoſtaticam unionem in Incarnatione; ità nec voluntatem humanam poſſe operationem Dei impedire, gratiam abijciendo.

Verum Tibi Queſnelle ſic ſentienti notam jure optimo Tridentina generalis Synodus ſeſſ. 6. can. 4. inurit: *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum nihil cooperari aſſentiendo Deo excitanti, atque vocanti quoad obtinendam juſtificationis gratiam ſe diſponat, ac præparet, neque poſſe diſſentire, ſi velit, ſed velut inanime quoddam nihil omnino agere, merèque paſſivè ſe habere, anathema ſit.*

Quàm vehementer erras Queſnelle, quòd ſentias in Incarnatione, tamquam in Archetypo illicò demonſtrari concordiam operationis Dei in corde hominis cum libero ipſius voluntatis conſenſu; dum operatio Dei in Incarnatione hypoſtaticæ unioni aſſumptam humanitatem neceſſariò affigit; Operatio verò Dei in corde hominis eſt operatio voluntati hominis ità libera, ut poſſit illi pro libito conſentire, vel diſſentire, ſi Tridentinæ Synodo credis, cujus hæc eſt ſententia ſeſs. 6. cap. 4.

Declarat præterea (Synodus) ipſius juſtificationis exordium in adultis à Dei per Chriſtum Jeſum præveniente gratia ſumendum eſſe, hoc eſt ab ejus vocatione, qua nullis eorum exiſtentibus meritis vocantur, ut qui per peccata à Deo averſi erant, per ejus excitantem, atque adjuvantem gratiam ad convertendum ſe ad ſuam ipſorum juſtificationem, eidem gratiæ libere aſſentiendo, & cooperando diſponantur, ità ut tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem, neque homo ipſe nihil omnino agat inſpirationem illam recipiens, quippè qui illam, & abijcere poteſt.

Accedit huc gravis auctoritas Sancti Auguſtini, qui lib. contra Secundinum cap. 13. eandem veritatem ità confirmat: *Habet anima in poteſtate ut quadam mala ſubſtantia vel ſit, vel non ſit.*

Divus tandem Thomas aureum os, ac fideliſſimus Sanctorum Patrum interpres Queſnellum ad terram affligit in eam Sententiam: *Per actum proprium quis mereri non poteſt, niſi ſit Dominus ſui* (*a*) *actus: ſic enim ſuum actum quaſi pratium pro pramio dare poteſt.*

PROPOSITIO XXIII.

Deus ipſe nobis ideam tradidit Omnipotentis operationis ſuæ gratiæ, eam ſignificans per illam, qua creaturas e nihilo producit, & mortuis reddit vitam.

Queſnellus Roman. 4. 17. *edition.* 1693. & 1699.

CAptioſa hìc propoſitione ſua Queſnellus de induſtria, atque ſubdolè nititur errorem confirmare Lutheri, qui deblateravit liberum hominis arbitrium nihil gratiæ cooperari, nec poſſe illi diſſentire, ſi velit, ſed veluti inanime quoddam, nihil omnino agere, merèque paſſivè ſe habere.

Cum enim operationi illi, qua Deus creaturas e nihilo producit, & mortuis vitam reddit; tum creatura, quæ e nihilo producitur, tum verò mortuus, cui vita redditur, nihil cooperentur, merèque paſſivè ſe habeant; E Queſnel-

(a) *In quæſtionibus diſputatis quæſt. 29. de gratia Chriſti artic. 6.*

Digitized by Google

nelli Sententia ſequatur neceſſe eſt liberum hominis arbitrium merè paſſivè ſe habere, ac nihil cooperari Queſnellianæ gratiæ Omnipotenti operationi illi, quæ per creationis, ac reſurrectionis operationem ſignificatur: atque ob eam cauſam Luthero, ejuſdemque diſcipulo Queſnello Synodus œcumenica Tridentina anathema infligit in eam Sententiam: *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum*, (*a*) *nihil cooperari aſſentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quoad obtinendam juſtificationis gratiam ſe diſponat, ac præparet; neque poſſe diſſentire, ſi velit, ſed velut inanime quoddam, nihil omnino agere, merèque paſſivè ſe habere, anathema ſit*.

Præterea Concilium Senonenſe, Sanctus Auguſtinus, ac Divus Thomas humanum arbitrium non merè paſſivè ſe habere ad operationem gratiæ, ut Queſnellus putat, ſed liberè aliquid agere, & gratiæ cooperari fatentur clarè, ac prædicant. Concilium enim Senonenſe in præfatione, *non ego autem, ſed gratia Dei mecum: Undè* (inquit) *rectè conficitur ipſum* (*Apoſtolum*) *Divina gratia, & reliquos fideles, cooperatum fuiſſe*. Paulus Apoſtolus 1. Corinth. c. 3. *Unuſquiſque autem propriam mercedem accipiet, ſecundum ſuum laborem; Dei enim ſumus adjutores*; at vox græca ſignificat *cooperatores*.

Sanctus Auguſtinus lib. de perfect. juſtit. prope finem inquit: *Nec adjuvatur, niſi qui & ipſe aliquid agit*: & lib. primo retractationum cap. 23. idem confirmat: *Proinde quod continuo dixi: dicit enim Apoſtolus: idem Deus qui operatur omnia in omnibus. Nuſquam autem dictum eſt, Deus credit omnia in omnibus: ac deinde ſubjunxi, quod ergo credimus, noſtrum eſt: quod autem bonum operamur, illius eſt, qui credentibus dat Spiritum Sanctum. Profectò non dicerem, ſi jam ſcirem etiam ipſam fidem inter Dei munera reperiri, quæ dantur in eodem Spiritu. Vtrumque ergo noſtrum eſt propter arbitrium voluntatis, & utrumque tamen datum eſt per*

(a) *Seſſ. 6. can. 4.*

Spiritum fidei, & charitatis; & quod paulò poſt dixi: noſtrum eſt enim credere, & velle, illius autem dare credentibus, & volentibus facultatem bene operandi per Spiritum Sanctum, per quem charitas diffunditur in cordibus noſtris, verum eſt quidem: ſed eadem regula, & utrumque ipſius eſt, quia ipſe præparat voluntatem, & utrumque noſtrum, quia non fit, niſi volentibus nobis. Rurſus idem Sacer Doctor interpretans Pſalmi 51. verba illa: *dilexiſti malitiam ſuper benignitatem; benignitas* (ait) *ante Te: iniquitas ante Te: compara, & elige.*

Sanctus Thomas in cap. 2. Epiſtolæ ad Epheſios Lectione 3. *Dei* (inquit) *adjutores ſumus, ut dicitur* 1. *Corint.* 3. *propter quod dicebat de ſe ipſo Apoſtolus* 1. *Corint.* 15. *Gratia ejus in me vacua non fuit, ſed abundantius omnibus laboravi; non ego autem, ſed gratia Dei mecum.*

PROPOSITIO XXIV.

Juſta idea, quam Centurio habet de Omnipotentia Dei, & Jeſu Chriſti in ſanandis Corporibus ſolo motu ſuæ voluntatis, eſt imago ideæ, quæ haberi debet de Omnipotentia ſuæ gratiæ in ſanandis animabus à cupiditate.

Queſnellus Luc. 7. 7. *edition.* 1693. & 1699.

PRO-

PROPOSITIO XXV.

Deus illuminat animam, & eam ſanat æquè, ac corpus ſola ſua voluntate, jubet, & ipſi obtemperatur.

Queſnellus Luc. 18. *edition.* 1693. & 1699.

Cum in hiſce binis propoſitionibus Queſnellus ore pleno definiat à Deo ſolo ſuæ voluntatis motu, ac ſola ſua voluntate animam æquè, ac corpus ſanari; cooperationem utique liberi arbitrii de medio tollit, atque ob eam cauſam apertè, palamque pugnat cum Tridentina Synodo œcumenica, quæ non ſolum Dei voluntatem ad ſanandam animam, ſed humanam etiam voluntatem gratiæ liberè aſſentientem, & cooperantem requiri tam clarè prædicat, ut nihil ſupra. Sic enim ſeſſion. 6. c. 5. ſuam ſententiam aperit. *Declarat præterea* (Synodus) *ipſius juſtificationis exordium in adultis à Dei per Chriſtum Jeſum præveniente gratia ſumendum eſſe, hoc eſt ab ejus vocatione, qua nullis eorum exiſtentibus meritis vocantur; ut qui per peccata à Deo averſi erant, per ejus excitantem, atque adjuvantem gratiam ad convertendum ſe ad ſuam ipſorum juſtificationem, eidem gratiæ liberè aſſentiendo, & cooperando, diſponantur: ità ut tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem, neque homo ipſe nihil omnino agat inſpirationem illam recipiens, quippè qui illam, & abijcere poteſt, neque tamen ſine gratia Dei movere ſe ad juſtitiam coram illo libera ſua voluntate poſſit. Unde in ſacris literis cum dicitur, convertimini ad me, & ego convertar ad vos; libertatis noſtræ admonemur, cum reſpondemus: Converte nos Domine ad Te, & convertemur: Dei nos gratia præveniri confitemur.*

Rurſus idem Concilium Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 7. ait: *Juſtitiam in nobis recipientes &c. ſecundum propriam cujuſque diſpoſitionem, & cooperationem*; & ſeſſ. 6. can. 4. *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium nihil cooperari, aſſentiendo Deo excitanti, anathema ſit*; & canone 32. *opera bona ſunt ità dona Dei, ut etiam bona ſint juſtificati merita*.

Quonam pacto, aut ratione mereantur, ſi ſolo gratiæ motu fiant? ut contendit Queſnellus. Sanitas corporis puero Centurionis non ſine miraculo reſtituta, donum Dei fuit, ſed non pueri cooperatio, ſive ex ipſius electione, nulloque modo in meritum illi vertitur.

Concilium autem Senonenſe Decreto fidei 15. *non eſt* (inquit) *tale trahentis gratiæ auxilium, cui reſiſti non poſſit*: & ibidem ſic: *Cum reliquerit Deus hominem in manu conſilii ſui, appoſueritque coram eo ignem, & aquam, bonum, & malum; ad quodcumque voluerit, porrigat manum ſuam; nec abs re Beatus ille dicatur qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus, facere mala, & non fecit; quod ſub eo ſit appetitus, & dominetur illius; ac denique percurrenti Sacram Scripturam paſſim obvium ſit, quòd liberum utramvis in partem hominis arbitrium perſeveret*.

E ſententia igitur Senonenſis Concilii liberum arbitrium ità cooperatur Divinæ Gratiæ, cum à culpa ſanatur, ut eidem gratiæ diſſentire poſſit, ſi velit. Corpora verò cum à Deo ſanantur; nec Dei voluntati ullo modo cooperantur, nec illi diſſentire ulla ratione poſſunt.

Sanctus Auguſtinus ità ſentit. *Sanat omnino ille quemlibet languidum, ſed non ſanat invitum: quid autem Te beatius, quàm ut tanquam in manu tua vitam, ſic habeas in voluntate ſanitatem tuam?* & paulo inferius: *Ergo* (a) *hoc tibi dicitur, omnis homo, ſi non ægrotas, alia cogita, ſi Te ægrotantem languor ipſe convincit, prius de ſalute cogita, ſalus tua Chriſtus eſt. Chriſtum ergo cogita; accipe calicem ſalutaris ejus.* Hoc

(a) *Enaratione in Pſalm.* 102.

Hoc ſanè loco Sanctus Auguſtinus de animæ infirmitate verba manifeſtò facit; nequaquam verò habent in manu homines corporum perindè, ut animarum ſalutem. Tantum igitur hæc propoſitio Queſnelli ab Auguſtini ſententia, quantum veritas à falſitate, diſtat.

Rurſus idem Sacer Doctor ità: *Habet anima* (a) *in poteſtate, ut quædam mala ſubſtantia vel ſit, vel non ſit.*

Nequaquam verò corpus humanum ægrum in poteſtate habet, ut ſanetur.

Divus Thomas Doctor Angelicus ità convincit, & elinguem reddit Queſnellum, ut nihil ſupra: ſic enim ſuam auream ſententiam aperit: *Deus movet omnia ſecundum modum eorum, & ideò* (b) *divina motio à quibuſdam participatur cum neceſſitate; à natura autem rationali cum libertate propter hoc, quod virtus rationalis ſe habet ad oppoſita; & ideò ſic Deus movet mentem humanam ad bonum, quod tamen poteſt huic motioni reſiſtere.*

Corpus autem humanum infirmum motioni divinæ ſananti neque cooperatur, neque poteſt, ut patet, reſiſtere; Jamque comparationes, ac ſimilitudines iſtiuſmodi Queſnellianæ corruunt, & ad auras evaneſcunt.

(a) *Lib. contra Secundinum cap. 13.* (b) *Quodlibet primo art. 7. ad ſecundum.*

PROPOSITIO XXVI.

Nullæ dantur Gratiæ, niſi per Fidem.

Queſnellus Luc. 8. 48. *editione* 1693. & 1699.

CUm in hac propoſitione Queſnellus affirmet nullam dari gratiam, niſi per fidem: manifeſtò pugnat cum Concilio œcumenico Tridentino, ac ſecundo Arauſicano, quæ palam omnibus prædicant gratiam inſpirationis, atque illuſtrationis ipſamet fide priorem eſſe: Concilium enim Tridentinum ſeſſione 6. canone 3. ſic definit: *Si quis dixerit ſine præveniente Spiritus Sancti inſpiratione, atque ejus adjutorio hominem credere, ſperare, diligere, aut pænitere poſſe, ſicut oportet, ut ei juſtificationis gratia conferatur; anathema ſit.*

Arauſicanum verò ſecundum Concilium, quod univerſa colit, ac veneratur Eccleſia, canone 25. ſic definit: *Secundum ſupraſcriptas ſanctarum Scripturarum Sententias, vel antiquorum Patrum definitiones, hoc, Deo propitiante, & prædicare debemus, quòd per peccatum primi hominis ità inclinatum, & attenuatum fuerit liberum arbitrium, ut nullus poſtea, aut diligere Deum, ſicut oportet, aut credere in Deum, aut operari propter Deum quod bonum eſt, poſſit, niſi gratia eum, & miſericordia divina prævenerit.*

Hæc demum, Queſnelle mi, eſt ſumma Concluſionis. Juxta enim Tridentinam Synodum inſpiratio Spiritus Sancti, quam eſſe gratiam nemo unus auſit pernegare, fidem ipſam prævenit, & juxta Synodum Arauſicanam ſecundam gratia prævenit fidem, ut conſtat.

Erras igitur turpitèr, miſerèque, quòd aſſeras nullam dari gratiam, niſi per fidem; cum juxtà iſta concilia ante fidem aliqua gratia concedatur; manifeſtòque hiſce Synodis refragaris.

Ale-

Alexander inſuper VIII. Summus Pontifex damnavit propoſitionem illam; cujus hæc eſt Sententia: *Pagani, Judæi, Hæretici, aliique hujus generis, nullum omninò accipiunt à Jeſu Chriſto influxum; adeòque hinc rectè inferes in illis eſſe voluntatem nudam, & inanem ſine ulla gratia ſufficienti.*

Hanc verò propoſitionem ab Alexandro VIII. Summo Pontifice damnatam univerſa quoque Eccleſia condemnavit. Sentit ergo univerſalis Eccleſia Paganos, atque Judæos, qui certè quidem ſunt infideles, influxum à Chriſto Domino, ac ſufficientem gratiam accipere. Falleris ergo Queſnelle mi, ac totius Eccleſiæ Catholicæ ſententiæ refragaris, quòd aſſeras nullam dari gratiam, niſi per fidem.

Repugnas inſuper Sancto Auguſtino, qui quidem ità ſentit, ut ſcribit: *Prævenit ergo & fidem gratia. Si autem gratia prævenit fidem, quoniam (a) prævenit voluntatem; profectò prævenit omnem obedientiam; prævenit etiam charitatem, qua una Deo veracitèr, & ſuavitèr obeditur: & hæc omnia gratia in eo, cui datur, & cujus hæc omnia prævenit, operatur.*

Cum autem ex Auguſtini ſententia *gratia fidem præveniat*; ſequitur illicò noſtrum Queſnellum turpiter errare, quippè qui ſentiat nullas dari gratias, niſi *per fidem.*

Divus tandem Thomas cum Beato Auguſtino conſentit contra Queſnellum, dum 2.2. qu.2. art.9. quærit, *utrum credere ſit meritorium*, quæſtionemque ſic dirimit: *Reſpondeo dicendum, quod ſicut ſupradictum eſt, actus noſtri ſunt meritorii, in quantum procedunt ex libero arbitrio moto à Deo per gratiam. Unde omnis actus humanus qui ſubijcitur libero arbitrio, ſi ſit relatus in Deum, poteſt meritorius eſſe: ipſum autem credere eſt actus intellectus aſſentientis veritati divinæ ex imperio voluntatis à Deo motæ per gratiam: & ſic ſubjacet libero arbitrio in ordine ad Deum; Unde actus fidei poteſt eſſe meritorius.*

Jam verò Queſnelle audis *ipſum credere, eſſe actum intellectus aſſentientis veritati divinæ, ex imperio voluntatis à Deo motæ per gratiam.* E ſen-

(a) *Lib. de bono perſeverantiæ cap. 16.*

E ſententia Divi Thomæ, voluntas à Deo per gratiam movetur, ut intellectui actum imperet fidei. Ergo gratia fidem præcedit, cum voluntatem, & intellectum, à quo concipitur fides, præveniat.

PROPOSITIO XXVII.

Fides eſt prima Gratia, & Fons omnium aliarum.

Queſnellus 2. Petri 1. editione 1693. & 1699.

HÆc propoſitio manifeſtò pugnat cum Tridentina Synodo generali; quæ ipſamet fide inſpirationem Spiritus Sancti, quæ ſine controverſia gratia eſt habenda, fatetur priorem, ac ſeſſione 6. canone 3. eandem ſic prædicat, ut hujuſce veritatis hoſtes damnet in eam Sententiam; *Si quis dixerit ſine præveniente Spiritus Sancti inſpiratione, atque ejus adjutorio hominem credere, ſperare, diligere, aut pęnitere poſſe ſicut oportet, ut ei juſtificationis gratia conferatur; anathema ſit.*

Quibus fundamentis jactis e ſententia Tridentinæ Synodi *Spiritus Sancti inſpiratio*, quæ quidem eſt gratia excitans, *prævenit ipſam fidem*: E ſententia igitur Tridentinæ Synodi præcedit ipſam fidem, & eſt prior fide.

Jam ne vides Queſnelle, jam ne ſentis quam vehementèr erres, quod ore pleno pronuncies facile fidem eſſe primam gratiam, cum ipſamet fide juxtà Tridentinam generalem Synodum inſpiratio Spiritus Sancti, quæ eſt gratia excitans, prior ſit?

Quid? quod Concilio Arauſicano ſecundo, quod anno 529. cele-

celebratum fuit, quodque Sancta Sedes Apoſtolica Romana confirmavit, & univerſalis Eccleſia veneratur, apertè refragaris. Illud enim capitulo 5. definit: *Si quis ſicut augmentum, ita etiam initium fidei, ipſumque credulitatis affectum, quo in eum credimus qui juſtificat impium, & ad generationem ſacri Baptiſmatis pervenimus, non per gratię donum, ideſt per inſpirationem Spiritus Sancti corrigentem voluntatem noſtram ab infidelitate ad fidem, ab impietate ad pietatam, ſed naturalitèr nobis in eſſe dicit; Apoſtolicis dogmatibus Adverſarius approbatur.*

Juxtà Synodum Arauſicanam initium fidei, ipſeque credulitatis affectus, quo in Deum credimus, per gratiæ donum, ideſt per inſpirationem Spiritus Sancti nobis ineſt. Sequitur igitur ut gratia excitans e ſententia Concilii Arauſicani, ſeù inſpiratio ipſammet fidem præcedat. Quamobrem fides non eſt prima gratia, quemadmodum Tu Queſnelle deceptus alios etiam, incautos videlicet ſtudes decipere, ipſiſque imponere.

Huc accedit Sancti Auguſtini, ac Divi Thomæ graviſſima eademque clariſſima auctoritas, qua nihil aptius ad hanc Theſim redarguendam. Sanctus enim Auguſtinus lib. de prædeſtinatione Sanctorum cap. 3. ait: *Cum errarem, neque enim fidem putabam Dei gratia præveniri.* Rurſus idem Sacer Doctor libro de bono perſeverantiæ capite 16. ità ſentit: *Prævenit, & fidem gratia*: Ergo fides non eſt prima gratia, & fons omnium aliarum, cum Auguſtinus præclarè ſentiat eſſe gratiam ipſamet fide priorem.

Divus autem Thomas 2. 2. qu.6. art.1. ad 3. inquit: *Dicendum, quod credere quidem in voluntate credentium conſiſtit: ſed oportet, quod voluntas hominis præparetur à Deo per gratiam, ad hoc quod elevetur in ea, quæ ſunt ſupra naturam, ut ſupra dictum eſt.*

Sentit igitur Doctor Angelicus voluntatem à Deo per gratiam præparari ad credendum; ideoque gratia fidem præcedit. Ergo fides e ſententia Divi Thomæ non eſt prima gratia, ut falsò noſter putat Queſnellus.

PRO-

PROPOSITIO XXVIII.

Prima Gratia, quam Deus concedit Peccatori, eſt Peccatorum remiſſio.

Queſnellus Marc. 11. *editione* 1693. *&* 1699.

PErvelim Queſnelle intelligas quam apertè propoſitio iſthæc tua cum Tridentina generali Synodo pugnet; quæ certè quidem excitantem gratiam priorem remiſſione peccatorum agnoſcit, ac prædicat. Audi jam illam, ſi libet: *Contritio* (inquit) *quæ primum locum inter dictos pœnitentis actus habet, animi dolor, ac deteſtatio eſt de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cætero; fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus neceſſarius, & in homine poſt Baptiſmum lapſo ità demum præparat ad remiſſionem peccatorum, ſi cum fiducia Divinæ Miſericordiæ, & voto præſtandi reliqua conjunctus ſit, quæ ad ritè ſuſcipiendum hoc Sacramentum requiruntur.*

E Sententia Tridentinæ Synodi contritio eſt neceſſaria ad remiſſionem peccatorum, & ad eam præparat, ideòque eam præcedit.

Cum autem gratia excitans ſit ad contritionem neceſſaria, & contritionem præcedat juxta ejuſdem Tridentini Concilii Canonem 3. (*a*) cujus hæc eſt Sententia: *Si quis dixerit ſine præveniente Spiritus Sancti inſpiratione, atque ejus adjutorio hominem credere, ſperare, diligere, aut pœnitere poſſe, ſicut oportet, ut ei juſtificationis gratia conferatur, anathema ſit.* Sequitur igitur e Sententia Tridentinæ Synodi, ut gratia excitans, ſeu Spiritus Sancti inſpiratio, atque ejus adjutorium remiſſionem peccatorum præcedat.

Hæc

(a) *Seſſione 6.*

Hæc eſt demum ſumma Concluſionis. E Tridentini Concilii Sententia Contritio neceſſaria ad remiſſionem peccatorum eſt prior remiſſione peccatorum. Sed juxta Synodum Tridentinam gratia excitans neceſſaria ad contritionem eſt prior ipſa contritione. Gratia igitur excitans e Tridentini Concilii Sententia eſt prior remiſſione peccatorum.

Falleris ergo Queſnelle quod aſſeras primam gratiam, quam Deus peccatori concedit, eſſe remiſſionem peccatorum, cum prius peccatori excitantem gratiam Deus elargiatur; manifeſtòque Tridentinæ generali Synodo refragaris.

Concilium Arauſicanum ſecundum, quod Sedes Apoſtolica confirmavit, & univerſa colit, ac veneratur Eccleſia, Can. 4. definit: *Si quis, ut à peccato purgemur, voluntatem noſtram Deum expectare contendit, non autem ut etiam purgari velimus per Sancti Spiritus infuſionem, & operationem in nos fieri confitetur; reſiſtit ipſi Spiritui Sancto per Salomonem dicenti: præparatur voluntas à Domino, & Apoſtolo ſalubriter prædicanti: Deus eſt, qui operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate.*

Deus itaque non remittit peccata, quin ſimul juſtificet. *Juſtificationem autem non eſſe ſolam remiſſionem peccatorum, ſed & ſanctificationem, & renovationem interioris hominis* ſeſs.6. c.7. Tridentinum Concilium declaravit; *Nos à peccatis purgari per Sancti Spiritus infuſionem, & operationem in nos fieri; & à Domino voluntatem noſtram præparari*, Synodus Arauſicana definit.

Ergo ex ejuſdem Concilii Sententia gratia illa, quæ purgationem à peccatis præcedit, remiſſionem peccatorum præveniat neceſſe eſt. Nequaquam igitur eſt prima gratia remiſſio peccatorum, ut ſatis conſtat.

Concilium etiam Colonienſe ità ſuam Sententiam aperit:

rit : *Quamquam nemo (a) convertatur ad Dominum, niſi tractus per Patrem; attamen nemo hic excuſationem prætexat, quòd non trahatur; quòd ille ſemper ſtat ante oſtium pulſans, nimirùm per internum, & externum verbum commonens, ut convertamur à via noſtra peſſima.*

Hæc Synodus manifeſtò fatetur ab excitante gratia converſionem, ideòque remiſſionem etiam peccatorum, quæ ſine liberi arbitrii converſione non conceditur, præveniri. Ergo prima gratia, quam Deus concedit peccatori, non eſt peccatorum remiſſio, ut Queſnellus ſentit.

Hujuſmodi propoſitio Queſnelliana refragatur apertè Sententiæ Auguſtini, qui libro 1. ad Simplicianum ait: *Niſi ergo vocando præcedat miſericordia Dei, nec credere quiſquam poteſt, ut ex hoc incipiat juſtificari, & accipiat facultatem benè operandi.*

Ut Sanctus Auguſtinus ſentit, miſericordia gratiæ actualis excitantis præcedit fidem, & juſtificationem, ſeu peccatorum remiſſionem; Ergo non eſt prima gratia remiſſio peccatorum. Divus Thomas 3. part. quæſt. 85. artic. 5. agens de pœnitentia inquit: *Reſpondeo dicendum, quod de pænitentia loqui poſſumus dupliciter, uno modo quantum ad habitum; & ſic immediatè à Deo infunditur ſine nobis principaliter operantibus, non tamen ſine nobis diſpoſitivè cooperantibus per aliquos actus: alio modo poſſumus loqui de pœnitentia quantum ad actus, quibus Deo operanti in pœnitentia cooperamur, quorum actuum primum principium eſt Dei operatio convertentis cor, ſecundum illud Thren. ult. Converte nos Domine ad Te, & convertemur; Secundus actus eſt motus fidei; Tertius eſt motus timoris ſervilis, quo quis timore ſuppliciorum à peccatis retrahitur: Quartus actus eſt motus ſpei, quo quis ſub ſpe veniæ conſequendæ aſſumit propoſitum emendandi. Quintus actus eſt motus charitatis quo alicui peccatum*

(a) *Part. 7. cap. 3.*

catum diſplicet ſecundum ſe ipſum, & non jam propter ſupplicia. Sextus actus eſt motus timoris filialis, quo propter reverentiam Dei aliquis emendam Deo voluntarius offert.

Nemo autem pernegare auſit eam Dei operationem, qua nos ad ſe Deus convertit, gratiam eſſe habendam, & quidem maximam; & tamen gratia hujuſmodi, fidem, ſpem, charitatem, ac remiſſionem peccatorum, ſi Angelico Doctori credis Queſnelle, præcedit. Ergo non eſt prima gratia remiſſio peccatorum.

Cum demum vigeſima octava iſta propoſitio doceat primam gratiam eſſe peccatorum remiſſionem; aut negat fidem non præcedere in peccatore, antequam juſtificetur; & ſic apertè repugnat Beato Paulo affirmanti, *ſine fide impoſſibile eſt placere* (*a*) *Deo*: aut vult fidem formaliter per ſe ipſam juſtificare: Et hæc fuit hæreſis Calvini, adverſus quam Tridentina Synodus generalis ſeſſ. 6. canone 26. definivit *non ſemper amiſſa per peccatum gratia, fidem amitti*, eademque ſeſſione 6. can. 9. anathemate percellit *eum, qui dixerit ſola fide impium juſtificari.*

PRO-

(a) 11. *ad Hebræos.*

PROPOSITIO XXIX.

Extra Eccleſiam nulla conceditur gratia.

Queſnellus Lucæ 10. 35. 36. *edit.* 1693. *&* 1699.

PAganos, atque Judæos extra Eccleſiam eſſe fides docet; Judæos quoque, ac Ethnicos ad fidem, & propterea ad Eccleſiam veniſſe plena monumenta novi Teſtamenti, ipſaque Apoſtolorum acta teſtantur. Item Judæos, Turcas, atque Paganos nonnullos ad Eccleſiam re ipſa venire ipſamet experientia rerum magiſtra confirmat, ut nullus veritatem hanc pernegare audeat.

Quæ cum ità rata, firmaque habeantur, ut contrarium affirmare extremæ dementiæ ſit; antequam Tecum Queſnelle diſputare agg ediar, ne quid loci ſophiſmatis Queſnellianorum tuorum relinquatur; Operæ prætium eſt animadvertere me in confutatione Theſis 27. tuæ, quæ fidem primam gratiam nuncupat, auctoritate, & Canone Tridentinæ generalis Synodi oſtendiſſe prævenientem, ſeu excitantem gratiam eſſe ipſamet fide priorem, ideoque fidem non eſſe primam gratiam.

Quibus fundamentis jactis ſic tecum Queſnelle diſputo: ex Paganis, atque Judæis multi ad fidem, & ad Eccleſiam, extra quam ſunt, venerunt, ac nonnulli ex intervallo veniunt; dic mihi, vel veniunt prævenientis gratiæ adjutorio excitati, vel ſine prævenientis gratiæ auxilio. Elige utrum velis. Si primum: ergo falſa eſt propoſitio tua, quæ aſſerit extra Eccleſiam nullam concedi gratiam: ſi ſecundum: vide quæſo quam grave anathema Tridentinæ Synodi in tuum caput recidat, quæ ſeſſione 6. canone 3. ità definit: *Si quis dixerit ſine prævenienti Spiritus Sancti inſpiratione, atque*

ejus

ejus adjutorio hominem credere, ſperare, diligere, aut pœnitere poſſe, ſicut oportet, ut ei juſtificationis gratia conferatur, anathema ſit; Perpende, inquam, ſi ità ſenſeris, miſere Te in hæreſim abripi ipſius Pelagij, quem Milevitanum Concilium, ac prima (*a*) Synodus œcumenica Epheſina condemnaverunt.

Præterea Theſis hujuſmodi refragatur ſententiæ Concilii Arauſicani ſecundi, quod univerſa colit, ac veneratur Eccleſia, quodque canone 25. ſtatuit in eam ſententiam: *Deus nobis inſpirat ut & Baptiſmi Sacramenta fideliter requiramus, & poſt Baptiſmum cum ipſius adjutorio ea, quæ ſibi ſunt placita, implere poſſimus*. Ille ſanè, cui Deus inſpirat, ut Baptiſmi Sacramenta fidelitèr requirat, nondum in Eccleſia eſt; aliquod igitur gratiæ auxilium extra Eccleſiam dari oportet, ſi Arauſicano Concilio Queſnelle credis.

Dum verò hæc propoſitio docet nullam dari extra Eccleſiam gratiam; negat apertè Judæis, Paganis, atque Hæreticis, qui ab Eccleſia extorres ſunt, gratiam ſufficientem, qua poſſint credere, ideòque V. Theſim ab Alexandro VIII. Summo Pontifice damnatam probat, cujus hæc eſt ſententia: *Pagani, Judæi, Hæretici, aliique hujus generis nullum omninò accipiunt à Jeſu Chriſto influxum, adeòque hinc rectè inferes in illis eſſe voluntatem nudam, & inermem ſine omni gratia ſufficienti*.

Summus autem Pontifex Alexander VIII., & univerſa Eccleſia Theſim hujuſmodi condemnarunt. Reprobant igitur etiam vigeſimamnonam Queſnellianam, quæ hinc profluxit.

Sanctus Auguſtinus ità ſuam ſententiam contra Queſnellum aperit: *Vult autem Deus omnes homines ſalvos fieri, & in agnitionem veritatis venire, non ſic tamen, ut eis* (*b*) *adimat liberum arbitrium, quo vel benè, vel malè utentes juſtiſſimè judicentur. Quod cum ſit, infideles quidem contra voluntatem Dei faciunt, cum ejus Evangelio non credunt; nec ideò tamen*

(a) *Synodica epiſt. ad Cæleſtinum Papam*. (b) *Lib. de ſpiritu, & litera c.33.*

eam vincunt, verum ſe ipſos fraudant magno, & ſummo bono, maliſque pœnalibus implicant, experturi in ſuppliciis poteſtatem ejus, cujus in donis miſericordiam contempſerunt.

Sanctus Auguſtinus clarè prædicat infideles, qui certè quidem ſunt extra Eccleſiam, *contra Dei voluntatem facere, cum ejus Euangelio non credunt, ejuſdemque miſericordiam in donis contemnere.*

Sentit ergo Auguſtinus extra Eccleſiam aliquod gratiæ infidelibus auxilium concedi, quo ſe ſe illi in Eccleſiam credendo queant recipere.

Sanctus Thomas ait 2.2.q.4. art.4. *Ad tertium dicendum quod gratia facit fidem non ſolum quando fides de novo incipit eſſe in homine, ſed etiam quandiu fides durat. Dictum eſt enim ſupra quòd Deus ſemper operatur juſtificationem hominis, ſicut Sol ſemper operatur illuminationem aeris. Unde gratia non minus facit adueniens fideli, quam adueniens infideli: quia in utroque operatur fidem, in uno quidem confirmando, & perficiendo, in alio de nouo creando.*

Hinc *gratia* e Divi Thomæ ſententia *aduenit etiam infideli*, qui certè eſt extra Eccleſiam, *& in ipſo fidem operatur.* Ergo aliquod interioris gratiæ auxilium extra Eccleſiam largitur ſumma Dei benignitas, ac miſericordia, velit, nolit Queſnellus.

PRO-

PROPOSITIO XXX.

Omnes, quos Deus vult ſalvare per Chriſtum, ſalvantur infallibilitèr.

Queſnellus Joan. 6. 40. editione 1693. & 1699.

TU ſane Queſnelle generatim, ac ſine ulla limitatione affirmas *omnes quos Deus vult ſaluare per Chriſtum, ſaluari infallibilitèr;* cum autem non e noſtra modo, ſed etiam e tua ſententia reprobi non ſalventur: fatearis neceſſe eſt Deum nullo modo per Chriſtum reprobos velle ſalvare: dum nullam omninò reprobis gratiam à Deo per Chriſti Sanguinem conferri ſentis, quippe qui non ſolum efficacem illis, ſed ſufficientem etiam gratiam denegare minime reformides; quoniam ſufficientem gratiam à naturæ lapſæ ſtatu abjudicas, ac paſſim in pluribus Theſibus reicis: Jamque de induſtrta laberis in errorem Janſenii magiſtri tui, cujus V. Propoſitio ſic habet: *Samipelagianum eſt dicere Chriſtum prò omnibus omnino hominibus mortuum eſſe, aut Sanguinem fudiſſe.*

Hanc verò Janſenii propoſitionem Innocentius X. Summus Pontifex damnans dixit *eam eſſe falſam, temerariam, ſcandaloſam, & intellectam eo ſenſu, ut Chriſtus pro ſalute duntaxat prædeſtinatorum mortuus ſit, eſſe impiam, blaſphemam, contumelioſam, Diuinæ pietati derogantem, & hæreticam.*

Ut igitur benè fecit Innocentius X., & univerſa Eccleſia quòd Janſenium Queſnelli magiſtrum damnaverint; ità quoque Papa Clemens XI., & univerſa Eccleſia benè faciunt quòd Queſnellum Janſenii diſcipulum condemnent, ac perhorreſcant.

Quid? quod hujuſmodi propoſitio apertè Tridentinæ Generali Synodo refragatur, quæ ſic declarat. *Hunc* (Chriſtum

 Jeſum)

Jeſum) *propoſuit Deus propitiatorem per fidem* (*a*) *in ſanguine ipſius prò peccatis noſtris, non ſolum autem prò noſtris, ſed etiam prò totius Mundi*. Juxtà ergo Tridentinam Synodum Chriſtus etiam pro reprobis Sanguinem profudit ſuum, ſufficientem gratiam nimirum ipſis largiendo.

Tu verò Queſnelle cum efficacem gratiam reprobis meritò, ſufficientem verò, immeritò deneges; quippe quam in ſecunda tua propoſitione à naturæ lapſæ ſtatu exterminas; ſentias neceſſe eſt Chriſtum nullo modo eſſe pro reprobis mortuum, cum nullam e ſententia tua gratiam illis donaverit; atque ob eam cauſam Tridentinæ Synodo refragaris.

Repugnas inſuper Sancto Auguſtino, ac Divo Thomæ, qui Chriſtum Dominum etiam prò reprobis Sanguinem fudiſſe ſuum teſtantur: Sanctus enim Auguſtinus dicit Chriſtum ſic reprobos allocuturum: *Videtis vulnera* (*b*) *quæ inflixiſtis: agnoſcitis latus quod pupugiſtis: Quoniam, & per vos, & propter vos apertum eſt, nec tamen introire voluiſtis*.

Sanctus verò Thomas interpretans verba illa Beati Pauli: *noli cibo tuo illum perdere, prò quo Chriſtus mortuus eſt: prò quo, ait, id eſt* (*c*) *prò cujus ſalute Chriſtus mortuus eſt*.

Rurſus idem ea verba, *peribit infirmus in tua ſcientia frater, propter quem Chriſtus mortuus eſt*, inquit: *peribit infirmus in fide* (*d*) *ideſt in tua ſcientia frater, propter quem ſalvandum Chriſtus mortuus eſt*.

Rurſus idem Sanctus Thomas interpretans B. Pauli verba illa: *Videmus Jeſum propter* (*e*) *paſſionem mortis, gloria, & honore coronatum, ut gratia Dei prò omnibus guſtaret mortem*; non modo ſuam, ſed etiam Apoſtoli Pauli, & Sancti Joannis Chryſoſtomi ſententiam ità aperit: *Prò omnibus: ecce utilitas: prò omnibus autem dupliciter poteſt intelligi: vel ut ſit diſtributio accomoda, ſcilicet prò omnibus prædeſtinatis: prò iſtis etiam tantum habet efficaciam, vel abſolutè prò omnibus quan-*

(a) *Seſſ. 5. cap. 2.* (b) *Lib. 2. Symbolo catechum. c. 8.* (c) *In cap. 14. ad Joa. lect. 2.* (d) *1. Corint. 8. lect. 2.* (e) *Lect. 3. ad Heb. cap. 2.*

quantum ad ſufficientiam. Sufficiens enim quantum ad ſe omnibus eſt. 1. *Timoth.* 4. *Qui eſt Salvator omnium hominum, maximè autem fidelium. Chryſoſtomus: prò omnibus hominibus generalitèr mortuus eſt; quia omnibus pretium ſufficit: & ſi omnes non credunt, ipſe tamen, quod ſuum eſt, implevit.*

PROPOSITIO XXXI.

Deſideria Chriſti ſemper habent ſuum effectum, pacem intimo cordium infert, quando eis illam optat.

Queſnellus Joan. 6. 40. editione 1693. & 1699.

CUm e Sententia Queſnelle tua deſideria Chriſti ſemper habeant ſuum effectum: ſequatur quoque e Sententia tua neceſſe eſt omnes illos ſalvari, quorum ſalutem æternam Chriſtus deſiderat. Sed reprobi non ſolum e ſententia noſtra, ſed tua etiam, non ſalvantur. Igitur e ſententia tua reprobis Chriſtus æternam ſalutem haud optat, nec prò illis mortuus eſt, nec Sanguinem effudit ſuum. Jam ne vides? jam ne ſentis? quam turpitèr laberis in errorem Janſenii, qui Propoſitione V. ſic affirmavit: *Semipelagianum eſt dicere Chriſtum prò omnibus omninò hominibus mortuum eſſe, aut Sanguinem ſuum fudiſſe.*

Hanc verò Janſenii propoſitionem Innocentius X. Summus Pontifex damnans, dixit *eam eſſe falſam, temerariam, ſcandaloſam, & intellectam eo ſenſu, ut Chriſtus prò ſalute duntaxat prædeſtinatorum mortuus ſit, eſſe impiam, blaſphemam, contumelioſam, divinæ pietati derogantem, & hæreticam.*

 Cum

Cum itaque quintam iſtam Janſenii propoſitionem Innocentius X. Summus Pontifex damnaverit, & univerſa Eccleſia reprobaverit; Te quoque, qui in eodem luto, in quo Janſenius, inhæres, univerſa damnet Eccleſia neceſſe eſt.

Præterea propoſitio iſthæc tua Queſnelle manifeſtò pugnat cum Tridentina Synodo generali, quæ ſeſſione 6. cap. 2. ac 3. de Chriſto Domino inquit: *Hunc propoſuit Deus propitiatorem per fidem in Sanguine ipſius prò peccatis noſtris, non ſolum autem prò noſtis, ſed etiam prò totius mundi: Verum* (a) *& ſi ille prò omnibus mortuus eſt; non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt, ſed ij duntaxat, quibus meritum paſſionis ejus communicatur. Nam ſicut re vera homines niſi ex ſemine Adæ propagati naſcerentur; non naſcerentur injuſti; cum ea propagatione per ipſum dum concipiuntur, propriam injuſtitiam contrahant; ità niſi in Chriſto renaſcerentur, nunquam juſtificarentur; cum ea renaſcentia per meritum paſſionis ejus, gratia, qua juſti fiunt, illis tribuatur.*

Itaque e ſententia Tridentinæ Synodi œcumenicæ Chriſtus prò omnibus, etiam prò iis, qui nolunt Baptiſmate luſtrari, mortuus eſt. Ergo e ſententia Synodi illorum quoque ſalutem deſideravit; nec tamen ipſi mortis ejus beneficium recipiunt, quia videlicet ſua culpa nolunt ſibi meritum paſſionis Chriſti per lavacrum regenerationis communicari; Ergo e ſententia Synodi Tridentinæ deſideria Chriſti non ſemper habent effectum ſuum, cum in hujuſmodi hominibus re ipſa non habeant.

Erras igitur apertè mi Queſnelle, quod aſſeras Chriſti deſideria ſemper ſuum effectum habere, ac Tridentino etiam Concilio refragaris. Sanctus verò Auguſtinus ea verba Pſ. 68. *Dederunt in eſcam meam fel, & in ſiti mea potaverunt me aceto*; ſic interpretatur: *fidem illorum deſideravi, & vetuſtatem inveni &c. de Cruce* (*Chriſtus*) *cum diceret, ſitio: fidem illorum quærebat, prò quibus dixerat, Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt. Sed illi homines quid propinarunt ſitienti? acetum. Acetum enim vinum vetus dicitur: meritò de vetere homine propinarunt, quia novi eſſe noluerunt.* Divus

(a) Cap. 3.

Divus tandem Thomas explicans illud: *pro eis rogo, non pro Mundo*, inquit: *Chriſtus* (*a*) *quantum eſt de ſe pro omnibus oravit, quia oratio ſua quantum eſt de ſe, efficax eſt, ut valeat toti Mundo; ſed tamen non in omnibus ſortitur effectum, niſi in ſanctis, & electis Dei, & hoc propter impedimentum mundanum.*

Divus Thomas igitur affirmat Chriſtum pro omnibus tum electis, tum reprobis oraſſe, nec tamen orationem ejus in reprobis, ſed in electis eſſe ſortitam effectum. Sanctus Auguſtinus ait Chriſtum fidem ſuorum hoſtium deſideraſſe, nec tamen illis quod exoptabat, obtinuiſſe; Et Queſnellus meus non dubitabit tantis Doctoribus contradicere prædicando, *deſideria Chriſti ſemper habere ſuum effectum, pacemque intimo cordium inferre, quando eis illam optat?*

PROPOSITIO XXXII.

Jeſus Chriſtus ſe morti tradidit ad liberandum pro ſemper ſuo ſanguine Primogenitos, ideſt electos de manu Angeli exterminatoris.

Queſnellus Gal. 4. 4. 5. 6. 7. *edit.* 1693. & 1699.

Quamquam in hac propoſitione ſua Queſnellus non exprimat Chriſtum Dominum pro electis duntaxat fuiſſe mortuum; intelligat tamen neceſſe eſt Chriſtum pro electis duntaxat, nec ullo modo pro reprobis

(a) *Cap.* 17. *Joannis Lection.* 2.

ſuum ſanguinem profudiſſe; Cum e Queſnelli doctrina nullam Chriſtus reprobis gratiam largiatur; utpotè quibus ad æternam ſalutem conſequendam efficacem gratiam, & nos, & Queſnellus; Sufficientem vero ſolus Queſnellus denegare pergat.

Quid? Quod ipſemet Queſnellus Propoſitione XXIX. aſſeverat *extra Eccleſiam nullam concedi gratiam*. Igitur è Queſnelli Sententia pro Judæis, atque Paganis reprobis, qui certè quidem ſunt extra Eccleſiam, Chriſtus non eſt mortuus, cum nihil gratiarum illis, ſi fides Queſnello eſt habenda, contulerit.

Sentit itaque manifeſtò Queſnellus Chriſtum pro electis duntaxat, non autem pro reprobis ſuum ſanguinem ullo modo profudiſſe: Jamque ob eam cauſam de induſtria in errorem labitur Janſenii Magiſtri ſui, cujus hæc eſt V. Propoſitio: *Semipelagianum eſt dicere Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe*.

Illam verò V. Janſenii Propoſitionem Innocentius X. Summus Pontifex, & univerſa Eccleſia damnaverunt; igitur etiam trigeſimam ſecundam iſtam Queſnelli univerſa Eccleſia damnat, ac perhorreſcit. Et ſane licet antea errorem hunc Janſenio, & Queſnello Calvinus commendaverit; Tridentina tamen generalis Synodus eum ità refellit ſeſſione 6. cap. 2. *Cæleſtis Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis Chriſtum Jeſum Filium ſuum, cum venit plenitudo temporis, ad homines miſit, ut & Judæos qui ſub lege erant, redimeret, & gentes quæ non ſectabantur juſtitiam, juſtitiam apprehenderent, atque omnes adoptionem filiorum reciperent: Hunc propoſuit Deus propitiatorem per fidem in ſanguine ipſius pro peccatis noſtris, non ſolum autem pro noſtris, ſed etiam pro totius Mundi*.

Huc accedit graviſſima Synodi œcumenicæ Nicænæ primæ auctoritas, quæ in ſuo Symbolo fidei ad unum omnibus indiſcriminatim Chriſtianis ità proponit credendum: *Cre-*

Credo in unum Dominum Jeſum Chriſtum, qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de Cœlis; Crucifixus etiam pro nobis.

Non dixit Nicæna Synodus propter electos duntaxat, vel Chriſtianos, ſed *propter homines* de Cœlis Chriſtum Dominum deſcendiſſe, ac fuiſſe Cruci affixum, ut hoc vocabulo generali *hominis*, & fideles, & infideles, & electos, & reprobos complecteretur.

Coronidem tandem huic propoſitioni cum Divo Auguſtino, ac Divo Thoma B. Paulus imponat, qui certè quidem epiſtola prima ad Corinthios cap. 8. Chriſtianos reprehendit, quod ſuis perditis moribus, praviſque exemplis ethnicos ab amplectenda fide avocarent; ſcripſitque in eam Sententiam: *Peribit infirmus in tua ſcientia, propter quem Chriſtus mortuus eſt.* Manifeſtò igitur Paulus prædicat Chriſtum Dominum etiam pro reprobis, qui ſua culpa æternum peribunt, mortuum eſſe, ac ſanguinem profudiſſe.

Rurſus idem Apoſtolus Paulus ità ſcribit: *Si unus pro omnibus (a) mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt, & pro omnibus mortuus eſt Chriſtus.*

Fide namque certum, firmumque eſt reprobos quoque originali peccato fuiſſe mortuos; nec non Tridentina Synodus œcumenica veritatem hanc declarat, ejuſdemque Pauli auctoritate confirmat: *Si quis Adæ prævaricationem ſibi ſoli, & non ejus propagini aſſerit nocuiſſe, & acceptam à Deo ſanctitatem, & juſtitiam, quam perdidit, ſibi ſoli, & non nobis (b) etiam perdidiſſe, aut inquinatum illum per inobedientiæ peccatum, mortem, & pœnam corporis tantum in omne genus humanum transfudiſſe, non autem, & peccatum, quod mors eſt animæ, anathema ſit; cum contradicat Apoſtolo dicenti, per unum hominem peccatum intravit in Mundum, & per peccatum mors, & ità in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt.* Qui-

(a) *Epiſtol. poſter. ad Corinth. cap.* 5. (b) *Seſſ.* 5. *de peccat. originali.*

Quibus fundamentis jactis ſic mihi contra Te Queſnelle liceat ratiocinari.

E Sententia B. Apoſtoli Pauli pro omnibus mortuis unus Chriſtus mortuus eſt; ſed fide certum eſt, auctoritate ejuſdem Pauli, ac Tridentinæ Synodi teſtimonio firmum, ac ratum non electos modo, verum etiam reprobos peccato originali mortuos eſſe: Sequitur igitur ut Chriſtus Dominus non ſolum pro electis, verum etiam pro reprobis, qui ſua culpa æternum peribunt, mortuus fuerit, ac generoſum ſanguinem profuderit.

Jam ne vides Queſnelle, jam ne ſentis quam miſerè Scripturis, & Conciliis refrageris?

Divus Auguſtinus illa verba Beati Pauli, *unus pro omnibus mortuus eſt*, ità interpretatur: *Omnes itaque mortui ſunt in peccatis nemine prorſus excepto, ſive in originalibus* (*a*) *ſive etiam voluntati additis, & pro omnibus mortuis vivus mortuus eſt unus.*

E Sententia Divi Auguſtini Chriſtus mortuus eſt pro iis omnibus qui peccato originali mortui ſunt: Cum autem adulti etiam reprobi originali peccato in Adam mortui ſint, ut patet. Sentit ergo Auguſtinus Chriſtum Dominum mortuum eſſe pro adultis etiam reprobis, qui ſua culpa ad æternum, ſed voluntarium interitum ruunt.

Rurſus idem Sacer Doctor verba illa Pſalm. 95. *judicabit orbem terrarum in æquitate*, ſic explicat: *non partem, quia non partem emit: totum judicare habet, quia pro toto prætium dedit.*

E Sententia Divi Auguſtini Chriſtus judicabit omnes illos, pro quibus prætium dedit: Sed tum electos, tum reprobos judicabit, ut fide certum, ratumque eſt. Sentit igitur Auguſtinus Chriſtum non pro electis modo, verum etiam pro reprobis prætium ſui ſanguinis dediſſe.

Tractatu 36. autem in Joannem hæc idem Doctor affert:

(a) *Lib. 10. cap. 6. de Civitate Dei.*

fert: *Venit Chriſtus, ſed primò ſalvare, poſtea judicare; eos judicando in pęnam, qui ſalvari noluerunt; eos perducendo ad vitam, qui credendo ſalutem non reſpuerunt*.

Non poſſumus autem verè dicere quemquam ſalvari noluiſſe, ſalutem reſpuiſſe, ideòque damnari, niſi cui ſalus verè ac ſyncere ità fuerit oblata, ut ſit in ejus poteſtate ſalutem illam accipere, quam dicitur noluiſſe: quam quia reſpuit, quia ſalvari noluit, dicitur jure damnari.

Nec non idem Auguſtinus lib. de ſpiritu, & litera capite 33. inquit de reprobis, qui redemptionem, & ſalutem æternam ſibi oblatam reſpuerunt: *Experturi in ſupliciis poteſtatem ejus, cujus in donis miſericordiam contempſerunt*.

Et tractatu 4. in Joannem inquit Auguſtinus: *Populi autem ſpernentes per ſuperbiam ſuam humilitatem Dei, crucifixerunt Salvatorem ſuum, & fecerunt damnatorem ſuum*.

Chriſtus igitur ex doctrina Sancti Auguſtini eſt Salvator etiam Tortorum, & Carnificum ſuorum, qui ipſum crucifixerunt, neque poſtea tanti ſceleris pœnitentiam egerunt, quippè qui eundem *fecerint damnatorem ſuum*.

Libro denique 2. cap. 8. de Symbolo ad Catechumenos ſentit Chriſtum Dominum ſervaſſe vulnera, ut in die Judicii reprobis ſuis inimicis oſtendat, ac dicat: *videtis vulnera quæ inflixiſtis, agnoſcitis latus quod pupugiſtis, quoniam & per vos, & propter vos apertum eſt, neque tamen introire voluiſtis*.

Quo teſtimonio nihil clarius excogitari poteſt ad oſtendendum Chriſtum etiam pro reprobis ſuum ſanguinem profudiſſe. S. Thomas cap. 26. Matthæi explicans, nomen hoc, *pro multis ſanguis effundetur*, ſic interpretatur clarè, ut nihil ſupra, *& pro multis inquit, & pro omnibus, quia ſi conſideretur ſufficientia, prima Joannis cap. 2. ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, & non pro noſtris autem tantum, ſed & pro totius Mundi. Sed ſi conſideremus effectum, non*

habet

habet effectum, niſi in his qui ſalvantur, & hoc ex culpa hominum.

Oppoſitio Queſnellianorum.

Opponunt Queſnelliani nobis ipſummet Divum Auguſtinum ità explicantem Beati Pauli verba illa: *vult omnes homines ſalvos fieri; Et quod* (inquit Auguſtinus) *ſcriptum eſt, quod vult omnes homines ſalvos fieri, nec tamen omnes ſalvi fiunt, multis quidem modis intelligi poteſt, ex quibus in aliis opuſculis noſtris aliquos commemoravimus, ſed hic unum dicam; ità dictum eſt: omnes homines vult ſalvos fieri, ut intelligantur omnes prædeſtinati, quia omne genus hominum in eis eſt, ſicut dictum eſt Phariſæis, decimatis* (a) *omne olus; ubi non eſt intelligendum, niſi omne quod habebant: neque enim omne olus, quod erat in toto terrarum Orbe, decimabant.*

Hinc deducunt Queſnelliani Deum velle prædeſtinatorum duntaxat ſalutem.

Reſponſio.

Non ego vobis, ſed ipſemet Auguſtinus reſpondeat, ſuamque clarè ſententiam ſic aperiat; *Vocat enim Deus Prædeſtinatos multos filios ſuos, ut eos faciat membra prædeſtinati unici filii ſui, non ea vocatione qua vocati ſunt, qui noluerunt venire ad nuptias; illa quippe vocatione, & Judæi* (b) *vocati ſunt, & qui noluerunt venire ad nuptias; illa quippe vocatione, & Judæi vocati ſunt, quibus Chriſtus crucifixus ſcandalum eſt: & Gentes, quibus crucifixus ſtultitia eſt: ſed ea vocatione prædeſtinatos vocat, quam diſtinxit Apoſtolus dicens, ipſis vocatis Judæis, & Græcis, prædicare ſe Chriſtum Dei virtutem, & Dei ſapientiam, ſciens eſſe quandam certam vocationem eorum qui ſecundum propoſitum vocati ſunt, quos præſcivit, & prædeſtinavit conformes imaginis Filii ſui ..... Non enim vocatione illa vocati ſunt, de qua dictum eſt, multi vocati: ſed illa, qua vocantur electi.*

Dupli-

(a) *Lib. de correptione, & gratia cap.* 14. (b) *Lib. de prædeſtinat. Sanctor. c.* 16.

Duplicem hoc loco vocationem diſtinguit Auguſtinus, alteram, qua Deus vocat prædeſtinatos, alteram qua vocat eos etiam, *qui noluerunt venire ad nuptias*, ſcilicet reprobos. Cum ex Sententia Divi Auguſtini Deus reprobos vocet; eorum ſalutem velit oportet, alioquin eos nequaquam vocaret: & tamen utrumque verum eſt, & prædeſtinatorum tantùm, & reproborum etiam Deum velle ſalutem. Sic enim prædeſtinatorum duntaxat ſalutem vult, quemadmodum in Textu, quem recitatis, patet, ut eos vocet vocatione alta ſecundum propoſitum, efficacis gratiæ illis auxilia largiendo: Sic rurſus ſalutem etiam reproborum vult, ſicut in Libro de Prædeſtinatione Sanctorum ſuprà memoratum eſt, ut eos vocet, auxilia ſufficientis gratiæ eiſdem impertiendo, qua poſſint, ſi velint, æternam ſibi felicitatem parare, licèt ſuapte culpa nolint. Hujuſmodi autem vocatio, qua vocati ſunt, & qui noluerunt venire ad nuptias, ideſt reprobi, non eſt exterior, quæ non dat poteſtatem veniendi, ut Auguſtinus, & Arauſicana ſecunda Synodus, & Tridentina generalis contra Pelagianos ſtatuerunt; Ergo debet eſſe interior gratia, quæ ſola veniendi tribuit poteſtatem. Queſnellus verò, qui ex una parte nobiſcum efficacem gratiam ad æternam ſalutem conſequendam ſolis electis aſcribit; ex alia verò ſolus à naturæ lapſæ ſtatu gratiam ſufficientem exterminat; fateatur neceſſe eſt Deum nullo modo velle ſalutem reproborum; Cum gratiarum nihil reprobis largiatur ad æternam conſequendam ſalutem; atque ob eam cauſam cum Magno Auguſtino pugnat; qui ſentit Deum ità velle tantum Prædeſtinatorum ſalutem, ut eiſdem efficacis gratiæ auxilia largiatur; ità verò etiam reproborum velle ſempiternam felicitatem, ut eiſdem ſufficientis gratiæ auxilia, qua ſalutem obtinere poſſint, ſi velint, non deneget.

PRO-

PROPOSITIO XXXIII.

Proh! quantum oportet bonis terrenis, & ſibimetipſi renunciaſse, ad hoc ut quis fiduciam habeat ſibi, ut ità dicam appropriandi Chriſtum Jeſum, ejus amorem, mortem, & myſteria, ut facit S. Paulus dicens: qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me.

Queſnellus Gal. 2. 20. *edition.* 1693. & 1699.

DUm Queſnellus ea Beati Pauli verba: *Qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me*, contra totius Eccleſiæ ſenſum ſoli perſonæ Pauli, atque illis, qui excellentem, perfectamque tanti Apoſtoli charitatem æmulantur, aptat: Sequitur illico ut hìc etiam perneget, quemadmodum in ſuperiori Theſi negaverat, Chriſtum Dominum pro reprobis mortem oppetiiſſe; cum ſentiat eundem pro electis mortuum duntaxat fuiſſe. Verum enim verò Queſnellum Magna Nicæna œcumenica Synodus convincit, & elinguem reddit Symbolo fidei in eam Sententiam: *Credo in Jeſum Chriſtum, qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de Cœlis, & incarnatus eſt de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, & homo factus eſt, Crucifixus etiam pro nobis ſub Pontio Pilato, paſſus &c.*

Cum autem Concilium generatim prædicet Chriſtum Dominum *propter noſtram ſalutem* deſcendiſſe de Cœlis, *& pro nobis* eſſe Cruci affixum: omnes profectò tum electos, tum reprobos comprehendit. Nihil enim excipitur, ubi diſtinguitur nihil. Veritatem autem hujuſmodi tam claram, tam firmam, ratamque ore pleno Sancti Patres comprobant, & confirmant. Audi jam, ſi libet mi Queſnelle, Auguſtinum no-

nomine Chriſti Ario ſic exprobrantem: *Sanguinem meum* (*a*) *fudi: animam meam poſui, ut mihi conjungerem, & Tu dividis me?* Sanctus Cyprianus inducit Diabolum Chriſto in judicio exprobrantem quòd ingratos reprobos ſic dilexit, ut ſe tormentis, ac morti tradiderit propter eos, qui Diabolo nunquam pro eis paſſo, maluerunt, quàm Chriſto ſervire. *Ego* (inquit) *pro iſtis, quos mecum vides, nec alapas accepi* (*b*) *nec flagella ſuſtinui.*

Sanctus Leo ità: *Una cunctis lætitiæ communis eſt ratio:* (*c*) *quia Dominus noſter peccati, mortiſque deſtructor, ſicut nullum à reatu liberum reperit, ità liberandis omnibus venit.*

Sed neque eos, qui ſuapte culpa ad interitum ruunt voluntarium, à reatu liberos reperit. Ergo illis quoque liberandis venit.

S. Hieronymus ſic prædicat: *mentitur Joannes Baptiſta, & digito Chriſtum, & voce demonſtrans: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata* (*d*) *Mundi: ſi ſunt adhuc in ſæculo, quorum Chriſtus peccata non tulerit.* Nemo unus igitur in Mundo eſt reprobus, qui cum Beato Paulo de Servatore noſtro dicere non poſſit: *Qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me,* atque hoc ſenſu ſibi Chriſtum Jeſum, ejuſdemque amorem, mortemque appropriare.

S. Ambroſius egregie ſic pronunciat: *Sol ille juſtitiæ omnibus ortus eſt, omnibus venit* (*e*) *omnibus paſſus eſt, & omnibus reſurrexit. Si quis autem non credit in Chriſtum, generali beneficio ipſe ſe fraudat; ut ſiquis clauſis feneſtris ſolis radios excludat, non ideò Sol non ortus eſt omnibus, quia calore ejus ſe ipſe fraudavit.*

Sanctus demum Bernardus tam benè Queſnellum redarguit, ut nihil ſupra. En ejus verba: *Poſſunt omnia dicere, Creator meus es Tu: poſſunt & animalia* (*f*) *dicere, Paſtor meus es Tu: poſſunt omnes homines dicere, Redemptor meus es Tu.*

Cum

(a) *Oratione de 5. hereſib. cap. 6.* (b) *Lib. de opere, & eleemoſyn.* (c) *Serm. 1. de Nativitate.* (d) *Epiſtol. 83. ad Oceanum.* (e) *in Pſ. 118.* (f) *In Pſ. Qui habitat ſerm. 2.*

Cum autem non ſolum electi, ſed etiam reprobi poſſint Chriſto dicere: *Creator meus es Tu:* Sequitur igitur ut non ſolum electi, ſed etiam reprobi poſſint Chriſto dicere: *Redemptor meus es Tu.*

Hactenus Concilii Nicæni œcumenici graviſſima quidem auctoritate, clariſſimiſque Sanctorum Patrum teſtimoniis contra Queſnellum oſtendimus Chriſtum Dominum non pro electis ſolùm, ſed etiam pro reprobis generoſum Sanguinem profudiſſe: Operæ modo pretium eſt eundem ipſum Queſnellum refellere, demonſtrando Sententiam Pauli: *Qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me;* non ſolum juſtis, ſed etiam iniquis congruere; dum idem Paulus prædicat ſe à Chriſto dilectum fuiſſe etiam quando perſequebatur Eccleſiam, dicens ad Rom. 5. *Commendat autem charitatem ſuam Deus in nobis, quoniam, cum adhuc peccatores eſſemus, ſecundum tempus Chriſtus pro nobis mortuus eſt.* Quam belle ad rem cadit illud Bernardi ſic in Cantica canticorum exclamantis; *Quì fieri* (a) *poterit, ut talem non diligam Dominum? dilexit me non exiſtentem; dilexit reſiſtentem, & inimicum: pro me calicem paſſionis bibit.* Hæc eſt tandem ſumma concluſionis: ſi amorem Chriſti erga genus humanum, mortemque ipſius neges peccatoribus eſſe appropriandam; in Pelagianorum hæreſim prolabaris neceſſe eſt. Si enim bonis terrenis, & ſibimetipſi oportet renunciaſſe, antequam poſſit quiſquam ſibi amorem Chriſti, & mortem appropriare: Sine prævenientis gratiæ auxilio utique perfecta iſthæc renunciatio contingat neceſſe eſt: cum nullam Deus gratiam largiatur, quæ ab amore Chriſti in homines, ejuſdemque morte tanquam ab unico fonte non profluat.

PRO-

(a) *Sermon.* 21.

PROPOSITIO XXXIV.

Gratia Adami non producebat, niſi merita humana.

Queſnellus 1. *Jo*: 16. & 2. *Cor*. 5. 21. *editione* 1693.

PROPOSITIO XXXV.

Gratia Adami eſt ſequela creationis, & erat debita naturæ ſanæ, & integræ.

Queſnellus 2. *Cor*. 5. 21. *edition*. 1699.

HAſce Queſnellus Theſes hauſit, & expreſſit à Bajo, cujus XXVI. Propoſitio ſic habet: *integritas primæ conditionis non fuit indebita naturæ humanæ exaltatio, ſed naturalis ejus conditio*. Septima verò ejuſdem Bay Propoſitio hæc eſt: *Primi hominis integri merita fuerunt primæ creationis munera, ſed juxtà modum loquendi Scripturæ Sacræ non rectè vocantur gratia; quo fit, ut tantum merita, non gratia debeant nuncupari*; & XXI. Bajanæ ea eſt ſententia: *Humanæ naturæ ſublimatio, & exaltatio in conſortium divinæ naturæ debita fuit integritati primæ conditionis, & proindè naturalis dicenda eſt, & non ſupernaturalis*.

Bajanas autem iſtius modi propoſitiones tum S. Pius V., & Gregorius XIII., & Urbanus VIII. Summi Pontifices condemnaverunt, tum univerſa Eccleſia reprobavit, ac deteſtata eſt. Igitur etiam haſce Queſnellianas Bajanis illis omninò conſonas reijciunt, & execrantur.

Synodus inſuper Arauſicana ſecunda, quam univerſa colit, ac veneratur Eccleſia, damnat apertè, refellitque Queſnellum in eam ſententiam: *natura humana* (*a*) *etiamſi in illa integritate, in qua eſt condita, permaneret, nullo modo ſe ipſam, Creatore ſuo non adjuvante, ſervaret. Unde cum ſine gratia Dei ſalutem non poſſet cuſtodire, quam accepit; quomodo ſine Dei gratia poterit reparare quod perdidit?*

Synodus Arauſicana canone hoc Pelagianos, qui negabant ſupernaturalem gratiam ad opera ſupernaturalia patranda requiri ſic planè refellit, ut eodem tempore ſtatuat ſupernaturalem gratiam fuiſſe naturæ integræ, ac proindè naturæ lapſæ multo magis neceſſariam ad opera ſupernaturalia æternę vitæ meritoria efficienda.

Quamobrem Synodus Arauſicana tum Pelagium naturæ lapſæ, ac integræ: tum Queſnellum naturæ integræ ſupernaturalem gratiam denegantes reprobat, & execratur.

Divus Auguſtinus in Enchiridio cap. 106. loquens de natura integra ſcribit ita: *Quamvis ſine gratia, nec tunc ullum meritum eſſe potuiſſet; quia & ſi peccatum in ſolo libero arbitrio erat conſtitutum, non tamen Juſtitiæ retinendæ ſufficiebat liberum arbitrium, niſi participatione immutabilis boni divinum adjutorium præberetur.* Et lib. de correptione, & gratia cap. 51. inquit de natura Adami nondum lapſa: *Nec ipſum ergo Deus eſſe voluit ſine ſua gratia, quem reliquit in ejus libero arbitrio; quoniam liberum arbitrium ad malum ſufficit; ad bonum autem nihil eſt, niſi adjuvetur ab Omnipotenti bono. Quod adjutorium ſi homo ille per liberum non deſeruiſſet arbitrium, ſemper eſſet bonus; ſed deſeruit, & deſertus eſt. Tale quippè erat adjutorium quod deſereret, cum vellet, & in quo permaneret, ſi vellet, non quo fieret, ut vellet. Hæc prima eſt gratia, quæ data eſt primo Adam.*

Hoc loco Divus Auguſtinus pro gratia intelligit gratiam ſupernaturalem naturæ humanæ indebitam, & merita ſuper-

(a) *Canon.* 19.

pernaturalia producentem, cum refellat Pelagianos, qui gratiam hujuſmodi ſimpliciter ad ſalutariter operandum audebant negare.

S. Thomas Doctor Angelicus 1. 2. qu. 114. art. 2. ſic docet: *Nulla natura creata eſt ſufficiens principium actus meritorii vitæ æternæ, niſi ſuperaddatur aliquod ſupernaturale donum, quod gratia dicitur.* Ibidem quæſt. 109. art. 2. idem Sacer Doctor ſic: *Virtute gratuita ſuperaddita Virtuti naturæ, indiget homo in ſtatu naturæ integræ quantum ad unum, id eſt ad operandum, & volendum bonum ſupernaturale, ſed in ſtatu naturæ corruptæ quantum ad duo, ſcilicet ut ſanetur, & ulterius ut bonum ſupernaturalis virtutis operetur, quod eſt meritorium; Ulterius autem in utroque ſtatu indiget homo auxilio divino, ut ab ipſo moveatur ad benè agendum.*

Idem Sacer Doctor inſuper: *Manifeſtum* (inquit) *eſt quod illa ſubjectio corporis ad animam, & inferiorum virium ad rationem, non erat naturalis; alioquin poſt peccatum manſiſſet, cum etiam in dæmonibus data naturalia poſt peccatum permanſerint; ut Dionyſius dicit 4. cap. de divinis nominibus &c.* (a) *ex quo datur intelligi, ſi deſerente gratia ſoluta eſt obedientia carnis ad animam, quòd per gratiam in anima exiſtentem inferiora ei ſubdebantur.*

H 2 PRO-

(a) *1. part. qu. 95. art. 1.*

PROPOSITIO XXXVI.

Differentia eſſentialis inter gratiam Adami, & ſtatus Innocentiæ, ac gratiam Chriſtianam eſt, quod primam unuſquiſque in propria perſona recepiſſet: iſta verò non recipitur, niſi in perſona Chriſti, cui uniti ſumus.

Queſnellus Roman 7. 4. editione 1693.

CUm in hac Theſi Queſnellus aſſerat Adami, ac ſtatus Innocentiæ gratiam unumquemque in propria perſona recepturum fuiſſe; iſtam verò gratiam, quæ in ſtatu lapſæ naturæ conceditur, *non niſi in perſona Chriſti*, *cui nos uniti ſumus*, ideoque non in noſtra propria perſona *recipi*; intelligat neceſſe eſt nos habere ſanctificantem gratiam (quæ quidem unit perfectè cum Chriſto) per juſtitiam ſolam Chriſti nobis imputatam; ac proinde in hæreſim Lutheri miſerè prolabatur. Lutherum verò Præceptorem cum Queſnello diſcipulo generalis Tridentina Synodus damnavit in eam ſententiam: *Si quis dixerit* (*a*) *homines juſtificari vel ſola imputatione juſtitiæ Chriſti*, *vel ſola peccatorum remiſſione*, *excluſa gratia*, *& charitate*, *quæ in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffundatur*, *atque in illis inhæreat*, *aut etiam gratiam*, *qua juſtificamur*, *eſſe tantum favorem Dei*; *anathema ſit*.

Quoniam gratia ſanctificans, atque charitas, hoc in ſtatu naturæ lapſæ *in cordibus noſtris* juxtà Tridentinam Synodum *per Spiritum Sanctum diffunditur*, *atque nobis inhæret*; in noſtra certè propria perſona eam unuſquiſque recipit. Tridentinæ igitur Synodo abſona eſt, atque contraria differentia eſſentialis illa, quam Queſnelle inter gratiam ſtatus Innocentiæ,

(a) *Seſ.6. can.11.*

tiæ, atque eam, quæ in ſtatu naturæ lapſæ conceditur, ſtatuis, affirmando primam unumquemque in propria perſona recepturum fuiſſe; Iſtam verò non niſi in perſona propria Chriſti, ideòque non in propria noſtra perſona recipere. Nam tum Adami, ac ſtatus Innocentiæ gratiam unuſquiſque in propria perſona recepiſſet; tum iſtam, quam lapſæ noſtrę conditioni Deus largitur, in propria unuſquiſque perſona, ſi Tridentino credis Concilio, recipit.

Rurſus idem Concilium Tridentinum clarius inquit ſeſs. 6. cap. 2. *Verè juſti nominamur, & ſumus juſtitiam in nobis recipientes unuſquiſque ſuam, ſecundum menſuram, quam Spiritus Sanctus partitur ſingulis proùt vult, & ſecundum propriam cujuſque diſpoſitionem, & cooperationem per Spiritum Sanctum Charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui juſtificantur, atque in ipſis inhæret.* Summi Pontifices Pius V., Gregorius XIII., & Urbanus VIII. condemnarunt hanc Bay Theſim: *juſtitia, qua juſtificatur per fidem impius, conſiſtit formalitèr in obedientia mandatorum, quæ eſt operum juſtitia, non autem in gratia aliqua animæ infuſa, qua adoptatur homo in filium Dei, & ſecundum interiorem hominem renovatur, ac divinæ naturæ conſors efficitur, ut ſic per Spiritum Sanctum renovatus, deinceps benè vivere, & Dei mandatis obedire poſſit.*

Hujuſmodi autem propoſitionem univerſa quoque reprobavit Eccleſia. Sequitur igitur ut univerſalis Eccleſia firmitèr credat, ac teneat *juſtitiam, qua juſtificatur impius*, conſiſtere formalitèr in gratia aliqua animæ infuſa, qua adoptatur homo in filium Dei, & ſecundum interiorem hominem renovatur, ac divinæ naturæ conſors efficitur, ut ſic per Spiritum Sanctum renovatus, deinceps benè vivere, & Dei mandatis obedire poſſit.

Ergo refellit Queſnellum aſſerentem differentiam eſſentialem inter gratiam Adami, & ſtatus Innocentiæ, ac gratiam Chriſtianam eſſe, quòd primam unuſquiſque in propria perſona recepiſſet: iſtam verò non recipit, niſi

perſona Jeſu Chriſti reſuſcitati, cui nos uniti ſumus.

Hæc enim propoſitio, ut legenti patet, affirmat gratiam Chriſtianam non recipi in propria cujuslibet hominis juſti perſona, ſed recipi in Chriſti duntaxat perſona: contra verò univerſa Eccleſia, ut hactenus dictum eſt, ſentit animæ gratiam infundi, qua homo in Dei Filium adoptatur.

Catechiſmus verò Romanus tractatu de Baptiſmo Tridentinam Synodum declarat hiſce verbis: *Eſt autem gratia, quemadmodum Tridentina Synodus ab omnibus credendum, pœna anathematis propoſita, decrevit, non ſolum per quam peccatorum fit remiſſio, ſed divina qualitas in anima inhærens, ac veluti ſplendor quidam, & lux, quæ animarum noſtrarum maculas omnes delet, ipſaſque animas pulchriores, & ſplendidiores reddit.*

Si verum eſt, ut certè veriſſimum eſt quod Catechiſmus affirmat, *gratiam ſanctificantem eſſe divinam qualitatem in anima inhærentem*; falſum profectò eſt, quod affirmat Queſnellus gratiam ſanctificantem non in hominis juſti propria recipi, ſed in ſolius Chriſti perſona.

S. Auguſtinus Lib.1.de Peccatorum meritis, & remiſſione cap. 10. inquit, *juſtificari in Chriſto, qui credunt in eum propter occultam communicationem, & inſpirationem gratiæ Spiritalis, qua quiſquis hæret Domino, unus Spiritus eſt.* Et eod. lib. c. 9. ità: *ſicut ergo ille, in quo omnes vivificabuntur, præterquam quod ſe ad juſtitiam exemplum imitantibus præbuit, dat etiam ſui ſpiritus occultiſſimam fidelibus gratiam, quam latenter infundit & parvulis.*

D. tandem Thomas 1. 2. q. 110. art. 2. quærit *utrum gratia ſit qualitas animæ*, ac reſpondet ità: *Gratia eſt nitor animæ ſanctum concilians amorem. Sed nitor animę eſt quædam qualitas; ſicut, & pulchritudo corporis; ergo gratia eſt quædam qualitas.*

E Sententia igitur Tridentinæ Synodi, Catechiſmi Romani, S. Auguſtini, ac Divi Thomę ſatis conſtat unumquemque gratiam ſanctificantem in perſona propria recipere; niſi quiſpiam Sophiſtarum conclamatam Queſnelli cauſam cavillis tuendo, velit oleum, & operam perdere. PRO-

PROPOSITIO XXXVII.

Gratia Adami ſanctificando illum in ſemetipſo, erat illi proportionata: Gratia Chriſtiana nos ſanctificando in Jeſu Chriſto, eſt Omnipotens, & digna Filio Dei.

Queſnellus Eph. 1. 6. editione 1693. & 1699.

SIve habitualem hoc loco Queſnellus gratiam, nomine Adamicæ gratiæ, ſivè actualem intelligat; neutra ſane Adamo erat proportionata, ſed utraque ejus naturæ adhuc integræ erat omninò indebita, ipſiuſque conditione longè altior, ac ſublimior, ut doctrina, teſtimonio, auctoritateque Tridentinæ Synodi œcumenicæ ſatis conſtat; quæ gratiam actualem, ſeu prævenientem, ac excitantem ſeſſion. 6. can. 3. *prævenientem Spiritus Sancti inſpirationem appellat*: nec non Concilium Arauſicanum 2. anno 529. celebratum, quod univerſalis ſuſcipit, ac veneratur Eccleſia, gratiam actualem, ſeù prævenientem, ac excitantem capitulo 5. *donum*, & *Spiritus Sancti inſpirationem* appellat.

Donum verò gratiæ, & inſpiratio Spiritus Sancti non erat Adamo proportionata, neque naturæ ejus adhuc integræ debita, ut omnibus ſatis compertum eſt.

Sed nec erat Adamo gratia habitualis, ſeù charitas proportionata, nec debita; cum illa ex Sententia Tridentinæ Synodi œcumenicæ *in cordibus* (a) *hominum per Spiritum Sanctum diffundatur*, *atque inhæreat*.

Gratia verò, vel charitas, quę in corde Adami tum diffundebatur per Spiritum Sanctum, nec erat illi proportionata, nec ipſius naturali conditioni debita: ut nemo eſt quin intelligat.

Dum autem Queſnellus dicit *Gratia Chriſtiana nos in Jeſu*

(a) *Seſſ. 6. can. 11.*

Chriſto ſanctificari, ſi de gratia interiori actuali prӕveniente loquitur; vehementer errat, cum ſæpènumero peccatores actuali prævenienti gratiæ interiori reſiſtant, ut patet illo: *Vocavi*, (*a*) *& renuiſtis*, *& illo: vos ſemper Spiritui* (*b*) *Sancto reſiſtitis*: ideoque non ſanctificantur. Præterea oppugnatur, quod latet in verbis illis dictæ propoſitionis: *Gratia Chriſtiana eſt omnipotens*. Quare enim gratia Chriſtianorum eſt omnipotens, neque omnipotens erat gratia Adami; cum plurimi Chriſtiani æquè reſiſtant gratiæ actuali excitanti, ac reſtitit Adamus, violando præceptum, & multi juſti Chriſtiani æquè amittant gratiam habitualem, ſeu ſanctificantem, ac amiſit Adamus?

Sin autem Queſnellus de gratia habituali ſanctificante loquitur: Quoniam nos cum Adamo comparat, pronunciatque Adamum gratia in ſemetipſo ſanctificari; Nos verò gratia in Jeſu Chriſto ſanctificari; intelligat neceſſe eſt gratia nos non in perſona propria noſtra, ſed in Jeſu Chriſto ſanctificari; & ecce tibi quam turpitèr in hæreſim defluat Lutheri dicentis *nos habere gratiam ſanctificantem per juſtitiam Chriſti nobis imputatam*: Quem certe quidem una cum Queſnello diſcipulo damnat Tridentina Generalis Syuodus in eam ſententiam: *Si quis dixerit* (*c*) *homines juſtificari vel ſola imputatione juſtitiӕ Chriſti, vel ſola Peccatorum remiſſione, excluſa gratia, & charitate, quӕ in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffundatur, atque illis inhӕreat, aut eam gratiam, qua juſtificamur, eſſe tantum favorem Dei; anathema ſit.*

Refragaris Queſnelle prӕtereà Sancto Auguſtino, qui Lib. 15. de Trinitate cap. 8. ait: *De ipſa quippe natura humana dictum eſt: Vir quidem non debet velare caput, cum ſit imago, & gloria Dei. Quæ natura in rebus creatis excellentiſſima cum à ſuo Creatore ab impietate juſtificatur, à deformi forma formoſam transfertur in formam.*

Repugnas denique Divo Thomӕ, qui 1. 2. qu. 110. art. 2, quæ-

(a) *Proverbior.* 1. (b) *Actor.* 7. (c) *Seſſ.* 6. *de juſtificat. can.* 11.

quærit in titulo, *utrum gratia ſit qualitas animę*, & reſpondet ſic: *Gratia eſt nitor animæ, Sanctum concilians amorem: Sed nitor animæ eſt quædam qualitas, ſicut & pulchritudo Corporis: ergo gratia eſt quædam qualitas*. Et in Corpore: *Illis quos* (*Deus*) *movet ad conſequendum bonum ſupernaturale æternum, infundit aliquas formas, ſeu qualitates ſupernaturales: ſecundum quas ſuaviter, & promptè ab ipſo moveantur ad bonum æternum conſequendum; & ſic donum gratiæ qualitas quædam eſt*.

Ibidem: *Ad primum ergo dicendum, quod gratia ſecundum quod eſt qualitas, dicitur agere in animam, non per modum cauſæ efficientis, ſed per modum cauſæ formalis; ſicut albedo facit album, & juſtitia juſtum*.

Jam verò audiamus Catechiſmum Romanum, quem Tu quoque, omneſque Galli ſuſcipiunt, ac venerantur. Catechiſmus enim Tractatu de Baptiſmo Tridentinam Synodum ſic explicat. *Eſt autem gratia, quemadmodum Tridentina Synodus ab omnibus credendum, pœna anathematis propoſita, decrevit, non ſolum per quam peccatorum ſit remiſſio, ſed Divina qualitas in anima inhærens, ac veluti ſplendor quidam, & lux, quæ animarum noſtrarum maculas omnes delet, ipſaſque animas pulchriores, & ſplendidiores reddit*.

Quonam pacto gratia ſanctificans eſt *Divina qualitas animæ juſti inhærens*, ſi non in cujuſcumque juſti, ſed in ſolius Chriſti perſona recipiatur?

Quomodo gratia eſt juxtà *Divum Thomam nitor animæ, & ſecundum quod eſt qualitas agit in animam non per modum cauſæ efficientis, ſed per modum cauſæ formalis, ſicut albedo facit album, & juſtitia facit juſtum, & infunditur juſtis; ſi non in juſtorum perſonis, ſed in perſona Chriſti recipitur?*

Erras igitur Queſnelle, & Concilio Tridentino, Catechiſmo Romano, Sancto Auguſtino, ac Divo Thomę apertè refragari non deſinis.

PRO-

PROPOSITIO XXXVIII.

Peccator non eſt liber, niſi ad malum ſine gratia Liberatoris.

Queſnellus Luc. 8. 29. *edition.* 1693. & 1699.

PROPOSITIO XXXIX.

Voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet luminis, niſi ad aberrandum, ardoris, niſi ad ſe præcipitandum, virium, niſi ad ſe vulnerandum; eſt capax omnis mali, & incapax ad omne bonum.

Queſnellus Matth. 20. 3. & 4. *editione* 1693. & 1699.

PROPOSITIO XL.

Sine gratia nihil amare poſſumus, niſi ad noſtram condemnationem.

Queſnellus 1. *Theſſalon.* 3. 18. *editione* 1699.

PROPOSITIO XLI.

Omnis cognitio Dei, etiam naturalis, etiam in Philoſohis Ethnicis, non poteſt venire, niſi à Deo, & ſine gratia non producit, niſi præſumptionem, vanitatem, & oppoſitionem ad ipſum Deum, loco affectuum, adorationis, gratitudinis, & amoris.

Queſnellus Rom. 1. 19. *editione* 1693. & 1699.

PROPOSITIO XLII.

Sola Gratia Chriſti reddit hominem aptum ad ſacrificium fidei; ſine hoc nihil, niſi impuritas, nihil, niſi indignitas.

Queſnellus Act. 1. 9. *editione* 1693. & 1699.

Vide Queſnelle quanta Tecum liberalitate agam, quippe qui tibi optionem dare velim, ut eligas utrumlibet. Sive enim hoc loco pro *gratia* prævenientem, excitantemque, ſive habitualem, ſeu juſtificantem intelligas; ſemper utique cum Synodis, ac Sanctis Patribus pugnes neceſſe eſt.

Si enim pro *gratia*, juſtificantem, ſeu habitualem intelligas, atque ſentias ſine juſtificante, ſeu habituali gratia *Peccatorem non eſſe liberum, niſi ad malum, ac nihil eſſe, niſi impuritatem, nihil niſi indignitatem, & nihil amare, niſi ad ſuam* *con-*

condemnationem, & nihil habere virium, niſi ad ſe præcipitandum, eſſe capacem omnis mali, & incapacem ad omne bonum, cognitionemque Dei ſine gratia juſtificante non producere, niſi oppoſitionem ad ipſum Deum: *miſerè* (Crede mihi) turpiterque, ac manifeſtò defluis, atque decidis in dedecus VVicleffiani erroris illius: *Quidquid homo in mortali peccato fecerit*, (*a*) *peccat mortaliter*.

Hanc verò Theſim VVicleffianam œcumenica Synodus Conſtantienſis damnavit. Ergo tuas quoque XXXVIII. XXXIX. XL. XLI. XLII. Propoſitiones illi omnino conſonas, ac Synonimàs condemnavit.

Præterea cum hoc vocabulum ſine *gratia juſtificante*, & hoc alterum, *ante juſtificationem*, ſint Synonima: ſequitur illicò ut ejuſmodi Queſnellianæ Theſes: ſine *gratia juſtificante nihil producitur niſi præſumptio, vanitas, & oppoſitio ad Deum*: *ſine gratia juſtificante peccator non eſt liber niſi ad malum, & nihil eſt niſi impuritas, & indignitas*; *ſine gratia juſtificante nihil amare poſſumus, niſi ad noſtram condemnationem*; *nihil habemus virium ſine gratia juſtificante, niſi ad nos vulnerandos, nihil luminis, niſi ad aberrandum*; *ſumus capaces omnis mali, & incapaces ad omne bonum*: æquiparentur, & omnino conſonent huic Lutheri propoſitioni: *Omnia opera quæ ante juſtificationem fiunt, quacumque ratione facta ſint, verè eſſe peccata*.

Hanc verò Lutheri Theſim, ideoque etiam Queſnellianas iſtas omnino illi conſonas Tridentina generalis Synodus condemnavit in eam Sententiam: *Si quis dixerit* (*b*) *opera omnia, quæ ante juſtificationem fiunt, quacumque ratione facta ſint, verè eſſe peccata, vel odium Dei mereri, anathema ſit*.

Quid? Quòd Theſes iſtæ, quas ſupra memoravimus, Divinæ Scripturæ manifeſtò repugnant. Nam Ezechielis cap. 29. Hæc ſcripta lego: *Nabuchodonoſor Rex Babylonis ſervire fecit Exercitum ſuum ſervitute magna adverſus Tyrum*: *omne*

caput

(a) *Damnatur à Synodo Conſtantienſi ſeſſio.* 15. (b) *Seſſione* 6. *can.* 7.

caput decalvatum, & omnis humerus depilatus eſt, & merces non eſt reddita ei, neque Exercitui ejus, de Tyro pro ſervitute, qua ſervivit mihi adverſus eam. Propterea hæc dicit Dominus Deus. Ecce dedi Nabuchodonoſor Regem Babylonis in terram Ægypti, & accipiet multitudinem ejus, & diripiet ſpolia ejus, & erit merces Exercitui illius.

Quem quidem locum Sanctus Hieronymus interpretans ait: *ex eo quod Nabuchodonoſor mercedem accipit boni operis, intelligimus etiam Ethnicos, ſi quid boni fecerint, non abſque mercede Dei judicio præteriri.*

Quid reſpondes ad hæc mi Queſnelle cariſſime? Nabuchodonoſor, ejuſdemque Exercitus infideles erant, ideoque gratia juſtificante carebant; & tamen ipſorum operibus Scriptura memoriæ tradit Deum juſtum, ac bonum mercedem rependiſſe. Sequatur igitur neceſſe eſt opera illa, quæ à Nabuchodonoſor, ejuſdemque Exercitu ſine gratia juſtificante, ſeu habituali patrata erant, quæque Deus remuneravit, non fuiſſe peccata; cum peccata Deus non remuneretur, ſed puniat; ac proindè fuiſſe merè moralia bona quidem, atque honeſta, nec non digna, quæ mercede aliqua labili, fluxaque à Deo optimo, ac juſtiſſimo compenſarentur.

Alius item locus eſt Danielis 4., ubi cum Daniel prædixiſſet Regi Nabuchodonoſor gravem pœnam temporalem propter ſua ſcelera ſibi à Deo infligendam, hortatur illum ad eleemoſynas erogandas, ut pœnam illam temporalem avertat: *Nunc* (ait) *Rex conſilium meum placeat tibi, peccata tua eleemoſynis redime.*

Quodſi eleemoſynæ hominis infidelis, qui certè gratia juſtificante denudatus erat; pœnam temporalem avertere poterant; bona utique opera, honeſtaque erant. Nequaquam ergo peccata erant, cum peccata iram Dei non mitigent, ſed vehementius provocent, & accendant. Chriſtus autem Dominus indiſcriminatim omnes tum juſtos, tum peccatores gratiæ juſtificantis expertes Lucæ 11., & 18. ad

oran-

orandum cohortatur. Sic etiam Oratio Dominica omnibus tam juſtis, quàm peccatoribus proponitur, qua petant: *Dimitte nobis debita noſtra.*

Hortatur igitur Chriſtus Dominus peccatores ad opus morale bonum certè quidem, atque honeſtum patrandum.

Ad hæc Summus Pontifex Alexander VIII. Propoſitionem XV. damnavit. *Attritio, quæ geennæ, & pœnarum metu concipitur, ſine dilectione benevolentiæ Dei propter ſe, non eſt bonus motus, ac ſupernaturalis.* Quam quidem Propoſitionem univerſa quoque reprobavit Eccleſia.

Alexander igitur Summus Pontifex, ac univerſa Eccleſia contra Te Queſnelle definiunt attritionem, quæ geennæ, & pœnarum metu ſine dilectione benevolentiæ Dei, ac proindè ſine habituali gratia, ſeu juſtificante concipitur, eſſe bonum motum, ac ſupernaturalem. Quocirca falleris apertè quod ſentias ſine habituali gratia *Peccatorem non eſſe liberum, niſi ad malum, ac nihil habere virium, niſi ad ſe vulnerandum, eſſe capacem omnis mali, & incapacem ad omne bonum.*

Vehementer quoque diſcrepare non definis ab Auguſtini Sententia, qui vel Ethnicis habituali gratia, fideque Divina orbatis, quædam bona opera merè moralia tribuit. *Si autem* (inquit) *hi qui naturaliter quæ legis ſunt, faciunt, nondum ſunt habendi in numero eorum, quos Chriſti juſtificat gratia; ſed in eorum potius, quorum etiam impiorum, nec Deum verum veraciter, juſtèque colentium, quædam tamen facta, vel legimus, vel novimus, vel audivimus, quæ ſecundum juſtitiæ regulam non ſolum* (a) *vituperare non poſſumus, verum etiam meritò, rectèque laudamus, quamquam ſi diſcutiatur, quo fine fiant, vix inveniuntur, quæ juſtitiæ debitam laudem, defenſionemve mereantur.*

Vix inveniuntur non ſolum officiis, ſed etiam finibus bona, ac laudabilia opera mèrè moralia in Ethnicis, qui lumine fidei, & habituali gratia ſunt orbati: *vix*, inquam, *in-*

(a) *De ſpiritu, & Lit. ad Marcellinum cap.* 28.

inveniuntur, ſed tamen inveniuntur, ſi magno credis Auguſtino; qui continuat ibidem Orationem ſuam, atque Sententiam ità: *Veruntamen quia non uſque adeo in anima humana imago Dei terrenorum affectuum labe detrita eſt, ut nulla in ea velut lineamenta extrema remanſerint, unde meritò dici poſſit etiam in ipſa impietate vita ſua facere aliqua legis, vel ſapere:* & paulo inferiùs ità: *ſicut enim non impediunt à vita æterna juſtum quædam peccata venialia, ſine quibus hæc vita non ducitur: ſic ad ſalutem æternam nihil proſunt impio aliqua bona opera, ſine quibus difficillimè vita cujuslibet peſſimi hominis invenitur.*

Divus tandem Thomas Queſnellianum errorem refellit, dum lib. 2. Sententiarum diſtinct. 41. artic. 2. quærit, *utrum aliquis actus hominis infidelis poſſit eſſe bonus?* Et quæſtionem dirimit aſſerendo: *Non eſt conſilium niſi de bono: ſed infidelibus conſulitur, ut aliqua de genere bonorum faciant. Ergo illorum actus non omnes ſunt mali: Præterea nihil laudabile eſt, vel laudatur, niſi bonum: ſed Sancti ut Hieronymus, (a) & Auguſtinus (b) ſæpè laudant aliquos Gentiles de aliquibus operibus. Ergo aliqua opera ipſorum fuerunt bona.*

Infideles certe habituali, ſeu juſtificante gratia denudati ſunt; & tamen eos aliqua bona opera honeſta, merèque moralia perpetraſſe teſtimonio Auguſtini, atque Hieronymi Divus Thomas contra Te Queſnelle comprobat, & confirmat.

Si autem *prò gratia* non juſtificantem, ſeu habitualem in hiſce tuis propoſitionibus, ſed prævenientem, excitantem, ſeu actualem intelligas; pervelim memineris temet in ſecunda tua, & undecima Propoſitione nullam prorſus aliam gratiam, quàm efficacem in ſtatu naturæ lapſæ probare; Sufficientem autem gratiam naturæ lapſæ conditioni mordicus denegare; atque ob eam cauſam ſentias neceſſe eſt ſine gratia efficaci peccatorem *non eſſe liberum niſi ad malum, voluntatem quam gratia efficax non prævenit, nihil habere virium, niſi ad ſe vulnerandum, eſſe incapacem ad omne bonum, ſine gratia efficа-*

(a) *Hieronymus contra Jovin. lib. 1. in fine.* (b) *Auguſt. de doctrina Chriſti lib. 2. in fine.*

Digitized by Google

efficaci nihil nos amare poſſe, niſi ad noſtram condemnationem.

Dum igitur ità ſentis; minimè mirum eſt, ſi Tridentinæ, ac Lateranenſi Synodis œcumenicis, nec non Arauſicano ſecundo Concilio, quod univerſa colit, ac veneratur Eccleſia, miſerandum in modum repugnes. Synodus enim Tridentina capite 15. ſeſſ. 6. ait: *A Regno Dei excludi non ſolum infideles, ſed & fideles fures, avaros, ebrioſos, maledicos, rapaces, caeteroſque omnes qui lethalia committunt peccata, à quibus cum divina gratia adjumento abſtinere poſſunt, & prò quibus à Chriſti gratia* (nempè habituali) *ſeparantur.*

Quibus fundamentis jactis ità mi Queſnelle Tecum diſputare mihi liceat non e mea quidem, ſed e Synodi Tridentinæ Sententia, quæ docet eos, qui cum divinæ gratiæ adjumento à peccatis poſſunt abſtinere, nec tamen abſtinent, gratiam habere, non utique efficacem, quia re ipſa à peccatis abſtinerent, ſed ſufficientem, qua poſſint ab illis abſtinere, ſi velint.

Lateranenſis autem Synodus generalis ſub Innocentio III. celebrata capite *firmiter*, ſic pronunciat, ac decernit: *ſi poſt ſuſceptionem Baptiſmi quiſpiam relapſus fuerit in peccatum, per veram pœnitentiam poteſt ſemper reparari.*

Omnes ad unum ſine controverſia poſt Baptiſmum relapſos comprehendit Synodus, omnibuſque illis tum re ipſa pœnitentiam agentibus, tum non agentibus, ſalutaris pœnitentiæ agendæ tribuit poteſtatem. Poteſtas verò ſalutaris agendæ pœnitentiæ ſine auxilio prævenientis, excitantiſque gratiæ nequit ullo modo conſiſtere; Quod œcumenica Tridentina Synodus ſeſſ. 6. canone 3., & Arauſicana ſecunda contra Pelagianos definiverunt. Sequitur igitur illos quoque, qui re ipſa pœnitentiam non agunt, habere gratiam, qua poſſint, ſi velint, ſalutarem agere pœnitentiam: quæ quidem certe gratia non eſt efficax, ſed ſufficiens judicanda.

Concilium inſuper Arauſicanum ſecundum, quod univerſa ſuſcipit, ac veneratur Eccleſia canone 25. ità decernit.

nit. *Hoc ſecundum Fidem Catholicam credimus, quod accepta per Baptiſmum gratia omnes baptizati Chriſto auxiliante, & cooperante, quæ ad ſalutem pertinent, poſſint, & debeant, ſi fideliter laborare voluerint, adimplere &c. Deus nobis inſpirat, ut & Baptiſmi Sacramenta fideliter requiramus, & poſt Baptiſmum cum ipſius adjutorio ea, quæ ſibi ſunt placita, implere poſſimus.*

Quam pulchre nobis Concilium exhibet contemplandam gratiam inſpirationis, & adjutorium, quo baptizati omnes, quæ ſunt Deo placita, implere poſſunt; nec tamen ea omnes baptizati implent, ut patet. Ergo iſtis non gratia efficax, ſed ſufficiens adeſt, qua Divina mandata poſſunt efficere, licet re ipſa nequaquam eadem velint efficere.

Ea demum eſt ſumma Concluſionis meæ: Concilium Tridentinum, Lateranenſe, & Arauſicanum ſecundum, quæ paulo ante memoravi, firmiter tenent hominem licet ſine gratia efficaci, cum auxilio tamen ſufficientis gratiæ poſſe Divina mandata, ſicut oportet, implere, ut ſatis hactenus demonſtratum eſt. Tu verò mi Queſnelle chariſſime affirmare minimè reformidas voluntatem humanam *ſine gratiæ efficacis adjutorio non eſſe liberam niſi ad malum, incapacem ad omne bonum, nihil virium habere, niſi ad ſe vulnerandum, nihil luminis, niſi ad aberrandum, ac nihil amare poſſe, niſi ad ſuam condemnationem.*

Jam ne vides quam miſere ab hujuſmodi graviſſimis Conciliis tota Sententia diſcrepes? Quid quæris amplius? Et tamen pergis cum Magno etiam Auguſtino, ac Doctore Angelico manifeſtè pugnare. Auguſtinus enim inquit: *Ad illam Cœnam, quam Dominus dicit in Evangelio præparatam, nec omnes qui vocati ſunt, venire voluerunt, neque illi* (a) *qui venerunt, venire poſſent, niſi vocarentur. Itaque nec illi debent ſibi tribuere qui venerunt, quia vocati venerunt; nec illi qui noluerunt venire, debent alteri tribuere, ſed tantum ſibi:*

(a) *Lib. de diverſ. quæſt.* 83. *quæſt.* 68.

Quoniam ut venirent vocati, erant in libera voluntate. Vocatio ergo ante meritum voluntatem operatur. Propterea & ſi quiſquam ſibi tribuit quòd venit vocatus, non ſibi poteſt tribuere, quòd vocatus eſt: qui autem vocatus non venit, ſicut non habuit meritum præmii, ut vocaretur, ſic inchoat meritum ſupplicii, cum vocatus venire neglexerit.

Præclariſſimus iſte Doctor, & univerſalis Eccleſiæ immortale decus pronunciat *non omnes, qui vocati ſunt, venire voluiſſe, nec eos qui noluerunt venire, debere alteri tribuere, ſed tantum ſibi: quoniam ut venirent vocati, erant in libera voluntate.*

Certè hujuſmodi vocatio facultatem illis, poteſtatemque proximam tribuit veniendi; alioquin ut venirent vocati, non eſſent in ſua libera voluntate: ſi poteſtatem tribuit; gratia utique interior erat, quippè quam ſolam Auguſtinus vires, poteſtatemque libero noſtro arbitrio ad rectè, prout oportet, vivendum, præbere, contra Pelagianos toties prædicaverit. *Non omnes vocati, venire voluerunt.* Ergo efficaci gratia caruerunt: *Quoniam ut venirent vocati, erant in libera voluntate;* ſequitur illicò eoſdem ſufficientem gratiam habuiſſe, qua venire poſſent, ſi vellent, ſed noluerunt; atque ob eam cauſam egregiè concludit Auguſtinus *illos qui noluerunt venire, non debere alteri, ſed tantum ſibi tribuere, & inchoare meritum ſupplicii, cum vocati venire neglexerint.*

Sentit itaque Magnus Auguſtinus hominem licet ſine gratia efficaci, cum ſufficientis tamen gratiæ auxilio poſſe, quæ ad æternam ſalutem ſpectant, efficere; quamvis nec velit, nec agat. Tota igitur erras via Queſnelle, quod ſentias, ſine gratia efficaci nihil nos amare poſſe, niſi ad noſtram condemnationem, nec eſſe liberos, niſi ad malum: manifeſtòque tam excellenti Magiſtro refragaris.

Divus tandem Thomas 1. 2. quæſt. 106. articulo 2. ad 2. *Dicendum quod gratia novi Teſtamenti, etſi adjuvet hominem ad non peccandum, non tamen ità confirmat in bono, ut homo peccare*

Digitized by Google

care non poſſit; hoc enim pertinet ad ſtatum gloriæ. Et ideò ſi quis poſt acceptam gratiam novi Teſtamenti peccaverit, majori pœna eſt dignus tanquam majoribus beneficiis ingratus, & auxilio ſibi dato non utens; nec tamen propter hoc dicitur, quod lex nova iram operatur, quia quantum eſt de ſe, ſufficiens auxilium dat ad non peccandum.

O ſummam bonitatem Dei! qui vel ei qui auxilio ſibi dato non utitur, quantum eſt de ſe, ſufficiens auxilium dat ad non peccandum. Ergo qui ſibi dato auxilio non utitur, efficaci gratia caret, & tamen habet auxilium ſufficiens ad non peccandum, ſi Angelico Doctori credis. Sequitur illicò e Sententia Divi Thomæ nos licet ſine gratia efficaci, cum adjutorio tamen ſufficientis gratiæ poſſe non peccare, atque opera, quæ ad ſalutem ſpectant, efficere. Quocirca turpiter pugnas cum Divo Thoma, quòd ſentias ſine gratia efficaci nihil nos amare poſſe, niſi ad noſtram condemnationem, nec eſſe liberos, niſi ad malum, ac nihil virium, niſi ad nos vulnerandos, habere.

Oppoſitio Queſnelliani.

Conclamatam Queſnelli cauſam Queſnellianus neſcio quis agendam ſuſcipit, cum pronunciet Queſnellum fortè fortuna adductum eſſe, ut crederet ſine Divino auxilio generali naturali nos non eſſe liberos, niſi ad malum, ac nihil nos amare poſſe, niſi ad noſtram condemnationem, nec quicquam virium, niſi ad nos vulnerandos habere.

Reſponſio.

Miſeram iſtam Queſnelli defenſionem una ex his omnibus nempè XLII. Propoſitio refellit, penituſque evertit; cujus hæc eſt Sententia: *Sola gratia Chriſti reddit hominem aptum ad ſacrificium fidei; ſine hoc nihil, niſi impuritas.*

Generale autem naturale auxilium, quod Deus, ut naturæ auctor, impiis quoque Idolorum cultoribus ad opera naturalia efficienda largitur, non reddit hominem aptum ad ſacrificium fidei, cum ad concipiendam ſupernaturalem

fidem, & quemcumque actum naturæ conditione altiorem eliciendum, non naturale auxilium generale, ſed ſupernaturale ſpeciale gratiæ adjutorium requiri, vel ipſemet Queſnellus in ſua ſecunda Theſi fateatur.

Præterea ſi quis propoſitiones Queſnellianas omnes, quæ ad gratiam pertinent, ſedulò diligenterque animo volverit, ac perpenderit; facilè profectò intelliget Queſnellum ſuum vel de præveniente ſpeciali auxilio gratiæ, vel de habituali, ſeu juſtificante gratia; nuſquam verò de generali naturali adjutorio meminiſſe.

Oppoſitio Queſnelli.

Solet autem hoc loco Queſnellus ſuam cauſam ſic defendere, ut potius glorietur, ſeſe propoſitiones iſtas, quas verè maximus Pontifex Clemens XI. jure merito damnat, ac reijcit; hauſiſſe, ac expreſſiſſe à Divi Auguſtini verbis illis, quæ ità ſe habent; *Liberum arbitrium captivatum, non niſi ad peccatum valet, ad juſtitiam vero, niſi divinitus liberatum, adjutumque* (*a*) *non valet.*

Reſponſio.

Nemo ferè unus hæreticorum extitit unquam, qui non contenderit, aut Scripturæ Sacræ, aut Sanctorum Patrum textu aliquo pravè intellecto errorem ſuum pro virili parte defendere; dum vel ipſe Arius hæreticorum omnium peſſimus eas voces Beati Joannis Evangeliſtæ: *Verbum caro factum eſt* in ſenſum adeò impium detorquebat, ut Divinitatem Verbo adimeret. Ne tibi ergo Queſnelle mi nimium plaudas, ac deſine gloriari, ſi verbis Auguſtini congruas, ſententiis diſcrepes. Tu enim, quoniam in omnibus tuis propoſitionibus modo de gratia efficaci, modo de habituali, ſeu juſtificante; nuſquam verò de generali naturali auxilio Divino meminiſti; ſufficientem vero ſupernaturalem gratiam à naturæ lapſæ ſtatu exterminas; Cogeris profectò ſic laudatum Auguſtini textum interpretari, ut aſſeras à tanto Doctore

(a) *Lib. 3. ad Bonifacium cap. 9.*

ctore intelligi hominis liberum arbitrium, vel ſine gratia efficaci, vel ſine gratia habituali, ſeu juſtificante non niſi ad peccatum valere. Verum enim vero utraque iſthæc tua interpretatio à tam excellentis Magiſtri Sententia longè abhorret, qui lib. 1. ad Simplicianum quæſt. 2. inquit: *Noluit Eſau, & non cucurrit, quodſi voluiſſet, & cucurriſſet, Dei adjutorio perveniſſet, qui ei etiam velle, & currere vocando præſtaret, niſi vocatione contempta reprobus fieret.*

Noluit Eſau currere; gratiæ igitur efficacis adjutorio caruit; *vocationem contempſit*; Sufficientem ergo gratiam habuit, qua potuiſſet currere, ſi voluiſſet. Docet itaque Auguſtinus Eſau non efficacem gratiam, ſed ſufficientem habuiſſe, qua currere potuiſſet, ſi voluiſſet. Falleris ergo Queſnelle, ſi aſſeras Divum Auguſtinum ſentire liberum arbitrium ſine gratia efficaci non niſi ad peccatum valere, dum ex ejuſdem Sententia Eſau efficaci gratia caruit, & tamen cum ſufficientis gratiæ auxilio potuit currere.

Sanctus verò Auguſtinus vocationem hoc loco eam, quæ tribuit Eſau poteſtatem currendi, ideoque gratiam interiorem prævenientem ſignificat, ſine qua liberum arbitrium nihil, quod ad æternam ſalutem attinet, præſtare poſſe contra Pelagianos inimicos gratiæ toties prædicavit.

Sin autem Queſnelle mi ſic laudatum Auguſtini textum interpreteris, ut aſſeras liberum arbitrium ſine juſtificante, ſeu habituali gratia, non niſi ad peccatum valere: interpretatio iſthæc tua manifeſto tanti Magiſtri Sententiæ refragatur, qui nonnulla opera merè moralia infidelium lumine fidei, ac juſtificante gratia, ſeu habituali carentium probat, ac laudat, ut ſupra demonſtratum eſt.

Quamobrem dum verbis Auguſtino conſonas, univerſa vero re, ac tota ſententia ab eo non dubitas diſſentire: mirari deſine, ſi Te non modo ſapientiſſimus, idemque optimus Pontifex Clemens XI. errantem damnet; ſed etiam Auguſtinus utpote ſuæ ſententiæ, ac doctrinæ calumniatorem reſpuat, ac perhorreſcat.

Oppoſitio Bajanorum.

Nunc venio ad graviſſimam querelam Bajanorum, qui magna, & queribunda voce dicunt 27. Baij Theſim, quæ ſic ſe habet: *liberum arbitrium ſine gratiæ Dei adjutorio non niſi ad peccandum valet;* quam tres Summi Pontifices Pius V., Gregorius XIII., & Urbanus VIII. condemnaverunt, unum prorſus, idemque ſonare, quod Auguſtinus lib. 3. ad Bonifacium contra duas Epiſtolas Pelagianorum ità pronunciavit. *Liberum arbitrium captivatum non niſi ad peccatum valet: ad juſtitiam verò niſi divinitus liberatum, adjutumque non valet.*

Reſponſio.

Bajana iſthæc oratio verbis Auguſtini congruit, ſententia verò diſcrepat. Bajus enim pro *adjutorio gratiæ* non ſignificat actualem gratiam prævenientem, ſeu excitantem, qua, vel ipſe peccator ad reſipiſcendum excitatur: dum illam reſpuit in Propoſitione illa LXIII. à Pio V. damnata: *Sed & illa diſtinctio duplicis juſtitiæ, alterius, quæ fit ex inſpiratione Spiritus Sancti cor ad pœnitentiam excitantis, ſed nondum cor inhabitantis, & in eo charitatem diffundentis, qua divinæ Legis juſtificatio impleatur, ſimilitèr reijcitur.* Negabat enim diſtinctionem gratiæ Spiritus Sancti nondum habitantis, quam ante remiſſionem Peccatorum concedimus, & inhabitantis, quam poſt remiſſionem Peccatorum fatemur: qua in opinione Bajus turpiſſimè labebatur, & apertè Tridentinæ Synodo repugnabat, quæ ſeſſione 14. cap. 4. duplex hoc auxilium gratiæ diſtinguit. Idcircò Bajus nullam prorsùs aliam, niſi charitatem probabat, qua per Spiritum Sanctum in corde diffuſa Deus amatur, ut ſententiam ſuam aperuit in propoſitione XXXVIII. à Pio V. damnata, quæ ità ſe habet: *Omnis amor creaturæ rationalis, aut vitioſa eſt cupiditas, qua Mundus diligitur, quæ à Joanne prohibetur, aut laudabilis illa charitas, qua per Spiritum Sanctum diffuſa Deus amatur.* Qua de re Bajus tam pravè laudatum Auguſtini textum

textum intellexit, atque interpretatus eſt, ut ſentiret liberum arbitrium ſine adjutorio gratiæ, videlicet charitatis juſtificantis, non niſi ad peccandum valere.

Verum enim verò hęc interpretatio manifeſtè Auguſtini Sententiæ refragatur, qui continentiam Polemonis charitate juſtificante orbati bonam, atque honeſtam, donumque Dei appellat, ac laudat: *Polemo ergo ſi ex luxurioſo continens factus, ita ſciret cujus eſſet hoc donum, ut eum abjectis ſuperſtitionibus gentium, piè coleret:* (*a*) *non ſolum continens, ſed etiam veraciter ſapiens, & ſalubriter religioſus exiſteret: quod ei non tantum ad præſentis vitæ honeſtatem, verum & ad futuræ immortalitatem valeret.*

Præterea 27. Bajana Theſis, quam ſe Bajus ab Auguſtino hauſiſſe, ac expreſſiſſe jactat; longè abhorret à Sententia Auguſtini: cum Bajus Propoſitione LXIII. impulſum Spiritus Sancti non habitantis, ſed tantum moventis denegat, quem Auguſtinus paſſim, præſertim verò, ubi de ipſa Eſau vocatione, ac Evangelica Cœna loquitur, ut ſupra memoravimus, non deſinit prædicare.

Jure igitur optimo tres Summi Pontifices Pius V., Gregorius XIII., & Urbanus VIII. Propoſitionem XXVII. Baij in proprio verborum ſenſu ab Aſſertoribus intento (ut Bulla Pij V. expreſſit) condemnant, ac univerſa Eccleſia deteſtatur: imo verò etiam, vel ipſemet Auguſtinus ut doctrinæ ſuæ, ac ſententiæ calumniatorem Bajum execratur, ac perhorreſcit.

Vehementer quoque errat, qui laudatam Auguſtini Sententiam ità interpretatur, ut aſſerat ſine adjutorio ſpeciali gratiæ peccatum eſſe quidquid liberum hominis arbitrium efficit: manifeſtòque ſententiæ refragatur Auguſtini, qui concedit fieri aliqua opera ſine ſpeciali gratiæ auxilio; quæ non ſunt peccata. Extat enim clariſſimum Teſtimonium in libro de perfectione juſtitiæ, reſponſione proxima poſtremæ,

(a) *Epiſt.* 130.

ubi, cum Cęleſtius probare volens non eſſe neceſſariam Dei gratiam ad bona opera liberi arbitrii, objeciſſet illud Apoſtoli 1. ad Corinth. 7. *quod vult, faciat, non peccat, ſi nubat*; reſpondet Auguſtinus: *Videte tamen obſecro quale ſit ideo volenti, & currenti miſericordiam Dei non eſſe neceſſariam, quæ illum prævenit, ut curreret; quia de quodam ait Apoſtolus, quod vult faciat, non peccat, ſi nubat. Quaſi prò magno habendum ſit velle nubere, ubi de adjutorio Divinæ Miſericordiæ operoſius diſputatur.*

Concedit itaque Auguſtinus opus hujuſmodi naturale ſine adjutorio ſpeciali gratiæ perpetrari, nec tamen eſſe peccatum Apoſtolo teſte, qui ait: *non peccat ſi nubat*. Jam verò cum Auguſtinus dicat, *liberum arbitrium captivatum non niſi ad peccatum valet*: voces illæ *non niſi ad peccatum valet*, nequaquam ità intelliguntur, quaſi ſignificent peccatum eſſe quidquid ſine ſpeciali gratiæ auxilio fit; cum ejuſmodi interpretationem Auguſtini ſententiæ ſatis hactenus refragari oſtenderim: ſed ità eas Auguſtinus intelligit, ut à ſolo libero arbitrio exordium ſumpſiſſe peccatum ſignificet contra Manichæos, quos ibidem, paulo poſtquam laudatam ſententiam recitaverat, inquit, *non accipere, quod Veritas dicit, à libero arbitrio exordium ſumpſiſſe peccatum, & ex illo eſſe omne vel Angeli, vel hominis malum; quia mali naturam ſemper malam, & Deo coæternam nimis à Deo exorbitantes credere maluerunt*. Præterea dictam Auguſtinus ſententiam: *liberum arbitrium captivatum non niſi ad peccatum valet*; multaſque alias ſententias (*a*) cap.8. cum protuliſſet, eaſdem cap. 9. explicat, & memoratam ſententiam contra Pelagianos, & Manichæos à ſe prolatam eſſe teſtatur his verbis: *Item quod arbitrium ſui in malum liberum dicimus, ad agendum bonum gratia Dei eſſe liberandum, contra Pelagianos eſt: quod autem dicimus ab illo exortum, quod antea non erat malum, contra Manichæos eſt.*

Cum verò alteram partem ſententiæ idem Sacer Doctor expli-

(a) *Lib. 3. ad Bonifacium cap.8.*

explicet, atque aſſerat, *liberum arbitrium ad juſtitiam niſi liberatum, adjutumque non valere;* intelligit profectò opera æternæ vitæ meritoria, eamque *juſtitiam*, quæ Abel, Joannem Baptiſtam, & Apoſtolos perduxit, cæteroſque omnes futuros Sanctos ad perbeatam vitam perducet, ac poteſt quemlibet Orthodoxum perducere, niſi opera ſempiternæ gloriæ meritoria, ipſamque ſummam Cœleſtem felicitatem impœnitentia finali amiſerit. Nam Divus Auguſtinus poſtquam dixit, *liberum arbitrium ad juſtitiam niſi divinitus liberatum, adjutumque non valere;* connectit illico, atque continuat ſententiam ità: *Ac per hoc* (perpende vim hujus conjunctionis, *ac per hoc*) *& Sancti omnes ſive ab illo antiquo Abel uſque ad Joannem Baptiſtam, ſive ab ipſis Apoſtolis uſque ad hoc tempus, & deinceps uſque ad terminum ſæculi in Domino laudandi ſunt, non in ſe ipſis, quia & illorum anteriorum vox eſt: in Domino laudabitur anima mea, & iſtorum poſteriorum vox eſt: Gratia Dei ſum, quod ſum.*

Hinc patet Sanctum Auguſtinum hoc loco intelligere opera æternæ vitæ meritoria, ac *juſtitiam* illam, quæ ſummam, perennemque promeretur felicitatem. Igitur etiam idem Doctor cum eandem ſententiam, *liberum arbitrium niſi divinitus liberatum, adjutumque ad juſtitiam non valet*, quam cap. 8. protulit, explicet cap. 9. his verbis: *Arbitrium ad agendum bonum gratia Dei eſſe liberandum*: *bonum* perinde, ut *juſtitiam* intelligit, indicans videlicet *bonum*, atque *juſtitiam*, quæ ſempiternam gloriam promerentur. Hanc ego puto veram Auguſtini ſententiæ interpretationem, quippe quæ nullam prorſus vim inferat, & inhæreat literæ, ac fini tanti Doctoris, conſilioque reſpondeat.

Oppoſitio Queſnellianorum.

Sanctus Auguſtinus in Enchiridio cap. 30. ait: *Libero arbitrio malè utens homo, & ſe perdidit, & ipſum.*

Reſponſio.

Cum Beatus Auguſtinus aſſerat hominem malè utendo libero

bero arbitrio, & ſe perdidiſſe, & ipſum; intelligit profectò non ſimpliciter liberum arbitrium quodcumque, ſed quale in ſtatu innocentiæ fuit, arbitrium videlicet non ſolum à mortali conditione vitæ, de qua hìc agitur, ſed etiam à miſeria, & peccato liberum. Poterat enim primus homo per liberum arbitrium nunquam peccare, ac nullam prorſus experiri miſeriam, ut ſatìs, ſuperque declarat hoc ipſum Sanctus Auguſtinus in primo libro contra duas epiſtolas Pelagianorum cap. 2. his verbis: *Quis noſtrum dicat, quòd primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere? Libertas quidem perijt per peccatum, ſed illa, quæ in Paradiſo fuit, habendi plenam cum immortalitate juſtitiam. Nam liberum arbitrium uſque adeò in peccatore non perijt, ut per illud peccent maximè omnes, qui cum delectatione peccant.*

Oppoſitio Queſnellianorum.

Dixit Auguſtinus tract. 5. in caput primum Joannis ità: *Nemo habet de ſuo, niſi mendacium, & peccatum: ſi quid autem homo habet veritatis, atque juſtitiæ, ab illo fonte eſt, quem debemus ſitire in hac Eremo &c.*

Reſponſio.

Oro, obteſtorque vos Queſnelliani, ut integrum Auguſtini textum libenter audire velitis, quo ejuſdem ſententiam facilè intelligamus; ſic enim dixit Auguſtinus: *Quæ autem ab homine ſunt, mendacia ſunt, ſicut ipſe dixit Dominus noſter Jeſus Chriſtus: Qui loquitur mendacium, de ſuo loquitur, nemo habet de ſuo, niſi mendacium, & peccatum; Si quid autem homo habet veritatis, atque juſtitiæ, ab illo fonte eſt, quem debemus ſitire in hac Eremo, ut ex eo quaſi guttis quibuſdam irrorati, & in hac peregrinatione interim conſolati, ne deficiamus in via, venire ad ejus requiem, ſatietatemque poſſimus.*

Jam verò ſedulo ſingula tanti Doctoris verba, diligenterque perpendamus. Cum enim hoc loco Auguſtinus dicat: *Qui loquitur mendacium, de ſuo loquitur: & nemo habet de ſuo, niſi mendacium, & peccatum*: manifeſtè profectò, luculen-

ter-

terque indicat, & oſtendit ſolum liberum arbitrium hominis cauſam eſſe peccati, eoſdemque Manichæos refellit, quos etiam lib. 3. contra duas Epiſtolas Pelagianorum cap. 9. ait. *Non accepiſſe quod veritas dixit à libero arbitrio exordium ſumpſiſſe peccatum, & ex illo eſſe omne, vel Angeli, vel hominis malum; quia mali naturam ſemper malam, & Deo coæternam nimis à Deo exorbitantes credere maluerunt.*

Cum verò ipſemet Auguſtinus affirmet, *ſi quid homo habet veritatis, atque juſtitiæ, ab illo fonte eſſe, quem debemus ſitire in hac Eremo;* intelligit ſanè *veritatem* illam, atque *juſtitiam*, quæ ad ſalutem æternæ vitæ pertinet, ut ex ſequentibus verbis abundè ſatis conſtat. Nam poſteaquam Auguſtinus dixerat: *Si quid autem homo habet veritatis, atque juſtitiæ, ab illo fonte eſt, quem debemus ſitire in hac Eremo;* cauſam ſtatim affert, ac ſic ſubnectit: *Ut ex eo quaſi guttis quibuſdam irrorati, & in hac peregrinatione conſolati, ne deficiamus in via, venire ad ejus requiem, ſatietatemque poſſimus:* loquitur ergo Sacer Doctor de operibus æternæ vitæ meritoriis, quibus ad æternam requiem poſſumus pervenire.

Cum itaque Auguſtinus dicat, *ſi quid homo veritatis, atque juſtitiæ habet, ex Deo eſſe,* loquaturque *de veritate illa*, atque *juſtitia*, cæteriſque omnibus operibus æternæ vitæ meritoriis, ut paulò ante demonſtravimus; manifeſtè refellit Pelagianos, qui per naturæ vigorem bona, quæ ad æternam ſalutem pertinent, abſque illuminatione, & inſpiratione Spiritus Sancti fieri ſuperbè jactabant, ac ſine ſpeciali gratia Dei hominem poſſe credere, temere, ac impudenter effutiebant. Ita enim refert Auguſtinus epiſtola 107. ad Vitalem. Eodem quoque errore fuiſſe Caſſianum imbutum, & alios quoſdam in Gallia, qui propterea reliquiæ Pelagianorum dici meruerunt, cognoſci poteſt ex epiſtolis Proſperi, & Hilarii ad Auguſtinum.

Supra laudatam Auguſtini ſententiam: ***nemo habet de ſuo niſi mendacium, & peccatum &c.*** totam, quanta eſt, Proſper

ſen-

ſententia 323., & Arauſicanum ſecundum Concilium canone 22. hauſerunt ab Auguſtino, & exſcripſerunt, ideoque non ſolum Proſper, ſed etiam Arauſicana ſecunda Synodus eandem Auguſtini ſententiam de operibus æternæ gloriæ meritoriis, Auguſtinum ſecuta intellexit, clariuſque canone 7. hiſce verbis expreſſit: *Si quis per naturæ vigorem bonum aliquod ad ſalutem pertinens vitæ æternæ cogitare, aut eligere poſſe confirmat abſque illuminatione, & inſpiratione Spiritus Sancti, hæretico fallitur Spiritu, non intelligens illud: non quòd idonei ſimus cogitare aliquid à nobis tanquam à nobis.*

Ea demum verba: *Nemo habet de ſuo, niſi mendacium, & peccatum*, quæ Proſper, & Arauſicana ſecunda Synodus ab Auguſtino hauſerunt, ac perinde, ut Auguſtinus, intellexerunt; non ſic accipienda ſunt, ut ſignificent liberum arbitrium omnibus ſupernaturalibus, ac naturalibus auxiliis Dei orbatum nihil poſſe niſi mendacium, & peccatum operari; dum illud niſi à Deo conſervaretur, in nihilum rueret; Sin autem à Deo conſervaretur quidem, ſed auxiliis Divinis omnibus ſupernaturalibus, ac naturalibus, quibus agi poteſt, denudaretur; Tunc enim verò licet eſſet indifferens; nihil tamen boni, vel mali poſſet, ut conſtat, efficere. Neque ità ſupramemorata verba interpretanda ſunt, ut indicent liberum arbitrium ſine auxiliis ſupernaturalibus gratiæ interioris non poſſe aliud niſi peccatum patrare; Cum interpretatio iſtiuſmodi repugnet manifeſtè Auguſtino, qui concedit Cœleſtio, ut ſupra in hac propoſitione commemoravimus, liberum arbitrium ſine auxilio ſupernaturalis interioris gratiæ poſſe aliqua opera naturalia, quæ non ſunt peccata, efficere. Nullo igitur alio modo intelligenda ſunt allata nuper verba Auguſtini, niſi ut oſtendant ſolum liberum arbitrium eſſe cauſam mendacii, & peccati, & non Deum, uti Manichæi volebant, quos hoc textu, & aliis, quos paulo ante recitavimus, egregiè pergit Auguſtinus refellere. Nę igitur Queſnelliani incauti: qui præter rem textum illum contra nos recitando, & oleum, & operam perdiderunt.

PRO-

PROPOSITIO XLIII.

Primus effectus gratiæ Baptiſmalis eſt facere, ut moriamur peccato, adeò ut ſpiritus, cor, ſenſus non habeant plus vitæ prò peccato, quam homo mortuus habeat prò rebus Mundi.

Queſnellus Roman. 62. editione 1699.

HÆc propoſitio Queſnelliana manifeſtò cum Tridentina Synodo generali pugnat: *Si enim primus effectus gratiæ Baptiſmalis eſt facere ut moriamur peccato, adeò ut ſpiritus, cor, ſenſus non habeant, e ſententia Queſnelle tua, plus vitæ prò peccato, quam homo mortuus prò rebus Mundi*: Sequatur quoque e Sententia tua neceſſe eſt hominem ſemel Baptiſmo juſtificatum amplius *peccare non poſſe*. At Concilium œcumenicum Tridentinum ſeſſ. 6. can. 23. damnat eum, qui *dixerit hominem ſemel juſtificatum amplius peccare non poſſe, neque gratiam amittere*.

En Synodi canon. *Si quis dixerit hominem ſemel* (*a*) *juſtificatum amplius peccare non poſſe, neque gratiam amittere &c. anathema ſit*. Ergo te quoque Synodus Tridentina ità ſentientem; atque ſcribentem anathemati ſubijcit.

Præterea vehementer erras quod affirmes cor, ſenſus propter primum effectum gratiæ Baptiſmalis non habere plus vitæ prò peccato, quàm homo mortuus habeat prò rebus Mundi; Cum Tridentina Synodus œcumenica fateatur, atque declaret *manere* (*b*) *in Baptizatis concupiſcentiam, vel fomitem, quæ cum ad Agonem relicta ſit, nocere non conſentientibus, ſed viriliter per Christi Jeſu gratiam repugnantibus non valet; quinimo qui legitimè certaverit, coronabitur &c. & hanc concupiſcentiam ad peccatum inclinare*.

Acce-

(a) *Seſſione 6. canone 23.* (b) *Seſſione 5. Decret. de peccat. originali.*

Accedit ut iſta Queſnelli Theſis Sacræ Scripturæ manifeſtiſſimè refragetur. Nam Beatus Paulus vas electionis 2. ad Corinth. cap. 12. *datus eſt mihi* (inquit) *ſtimulus carnis*, *Angelus Satanæ*, *qui me colaphizet*, & 5. ad Galatas ait: *caro concupiſcit adverſus ſpiritum*, *& ſpiritus adverſus carnem*. *Hæc enim invicem adverſantur ſibi*, *ut non quæ vultis*, *illa faciatis*. Hæc Paulus ad baptiſmate luſtratos ſcribit, eoſdemque hiſce carnis perturbationibus obnoxios agnoſcit, & ad Corinth. 10. ait: *qui ſibi videtur ſtare*, *videat*, *ne cadat*.

Hæc audis Queſnelle, hæc intelligis; & tamen putas ſecuros poſt Baptiſmum, atque ſomniculoſos nos eſſe debere, *nec plus vitæ nos habere pro peccato*, *quàm homo mortuus habeat pro rebus Mundi?*

Paulus vas electionis, Baptiſmo luſtratus, divinaque luce mirum in modum illuſtratus *ſtimulo carnis colaphizatur*: & Queſnellus putat nos per Baptiſma non plus ſentire peccati, & concupiſcentiæ illecebras, quàm homo mortuus terrenarum rerum deſideria, & affectus ſentit?

Jacobus quoque Apoſtolus cum benè noſceret baptizatos poſſe tentari, & propria defluere voluntate, inquit: *Unuſquiſque tentatur à concupiſcentia ſua abſtractus*, *& illectus*, *dehinc concupiſcentia cum conceperit*, *parit* (*a*) *peccatum*: *peccatum autem cum conſummatum fuerit*, *generat mortem*.

Beatus Apoſtolus hæc ad Chriſti fideles Baptiſmo luſtratos loquitur, ut patet ex contextu Epiſtolæ, ac ſupponit per Baptiſma fomitem peccati, & concupiſcentiæ non extingui, quæ utinam extinguerentur; nequaquam profectò à tot Chriſtianis poſt ſuſceptum Baptiſmum ſcelera patrarentur. Falſa itaque eſt iſta Queſnelli propoſitio, effectu gratię Baptiſmalis tolli in baptizatis adultis concupiſcentiam, adeò ut ſpiritus, cor, ſenſus, non habeant plus vitæ prò peccato, quam homo mortuus habeat prò rebus Mundi, ut ſentit Queſnellus.

Ve-

(a) *Jacobi prima*.

Verum enim verò ſolet ſæpe Queſnellus errores ſuos ab aliquo Hæretico tanquam anteſignano, atque Magiſtro ſuo diſcere, ac ſuis aſſeclis tradere, quemadmodum errorem hunc, quem in hac propoſitione docet, hauſit à Joviniano Hæretico, qui teſte S. Hieronymo lib. 2. contra eundem Jovinianum, & Auguſtino lib. de hæreſibus cap. 82. docuit hominem verè baptizatum non poſſe amplius peccare, & ſi fortè peccat, non fuiſſe, niſi aqua tinctum.

Quamobrem dum Queſnellus affirmat hominem ob effectum primum gratiæ Baptiſmalis ità mori peccato, ut ſpiritus, cor, ſenſus non habeant plus vitæ prò peccato, quàm homo mortuus habeat pro rebus Mundi; in eodem ſane inhæret luto, in quo Hæreticus Jovinianus, quem quidem S. Hieronymus lib. 2. cap. 1. refellit, & elinguem reddit in eam ſententiam. *Exiſtimo* (inquit) *quòd Joannes baptizatus ad baptizatos ſcripſerit, & quòd omne peccatum à Diabolo ſit. Ille peccatorem ſe confitetur, & ſperat remiſſionem poſt baptiſma peccatorum, & Jovinianus meus dicit: ne tangas me, quoniam Mundus ſum. Quid ergo? Contraria ſibi Apoſtolus loquitur? In eodem quippe loco cur hoc dixerit, ſtatim ediſſerit: filioli mei hæc ſcribo vobis, ut non peccetis, ſed & ſi quis peccaverit, advocatum* (a) *habemus apud Patrem Jeſum Chriſtum juſtum, & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantum, ſed etiam pro totius Mundi.*

Igitur cum Joviniano quoque hæretico jure optimo Queſnellus damnandus eſt.

Prætereà hæc propoſitio Queſnelliana conſonat planè propoſitionibus LV., & LVI. Michaelis Molinos, cujus propoſitio LV. ità ſe habet: *Per hanc viam internam pervenitur, & ſi multa cum ſufferentia ad purgandas, & extinguendas omnes paſſiones; ità quod nihil amplius ſentitur, nihil, nihil, nec ulla ſentitur inquietudo, ſicut corpus mortuum; nec anima ſe amplius commoveri ſinit.*

The-

(a) 1. *Ioannis.*

Theſis autem LVI. ejuſdem Molinos hæc eſt Sententia: *Duę leges, & duæ cupiditates, animæ una, & amoris proprii altera, tandiu perdurant, quandiu perdurat amor proprius: unde quando hic purgatus eſt, quod fit per viam internam, non adſunt amplius duæ leges, & duæ cupiditates, nec alterius lapſus aliquis incurritur; nec aliquid ſentitur amplius, ne quidem veniale peccatum.*

Has verò Propoſitiones tum Summus Pontifex Innocentius XI. damnavit; tum univerſa Eccleſia reprobavit: Ergo hanc etiam XLIII. Queſnellianam ſimilem illis, & conſonam condemnent neceſſe eſt. Si enim juxtà Queſnellum baptiſmus præſtat, ut *ſpiritus, cor, ſenſus non habeant plus vitæ pro peccato, quam homo mortuus habeat pro rebus Mundi; Jam non ſunt amplius in eo duæ leges, duæ cupiditates, nec alterius lapſus aliquis incurritur; nec aliquid ſentitur amplius ne quidem veniale peccatum, atque ita per Baptiſmum pervenitur ad ſtatum non faciendi amplius peccata, nec mortalia, nec venialia*, ut effutit Molinos: atque ob eam cauſam eodem errore Queſnelli, ac Molinos mentes imbutæ, iiſdem quoque Summi Pontificis Innocentii XI., & univerſalis Eccleſiæ diris meritò devoventur.

Quid? quòd manifeſtò Queſnellus cum Magno Auguſtino, ac Divo Thoma pugnat. Sanctus enim Auguſtinus libro de nuptiis, & concupiſcentia cap.26. *In eis ergo* (inquit) *qui regenerantur in Chriſto, cum remiſſionem accipiunt prorsùs omnium Peccatorum, utique neceſſe eſt, ut reatus etiam hujus licet adhuc manentis concupiſcentiæ remittatur, ut in peccatum, ſicut dixi, non imputetur. Agit enim aliquid concupiſcentia* (a) *carnis, & quando non exhibetur ei vel cordis aſſenſus, ubi regnet; vel membra velut arma, quibus impleatur quod jubet, agit autem, quid, niſi ipſa deſideria mala, & turpia? non enim ſi bona, & licita eſſent, eis obedire prohiberet Apoſtolus dicens: non regnet peccatum in veſtro mortali corpore ad obediendum deſideriis*

(a) *Ibidem c.27.*

deriis ejus. Non enim ait, ad habenda deſideria ejus: ſed ad obediendum deſideriis ejus, ut quoniam ſunt in aliis majora, in aliis minora, prout quiſque in hominis interioris novitate profecerit, in hoc agonem juſtitiæ, pudicitiæque ſervemus, ne illis obediamus &c. Verum quia concupiſcere nolebat (Apoſtolus) & tamen concupiſcebat, ſed eidem concupiſcentiæ nequaquam conſentiendo ſerviebat, adjunxit, atque ait: nunc autem jam non ego operor illud, ſed id, quod inhabitat in me peccatum.

Sanctus denique Thomas explicans illud Apoſtoli: *datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ Angelus Satanæ, qui me colaphizet: ſtimulus* (inquit) *carnis meæ, ideſt concupiſcentiæ ſurgentis ex carne mea, à qua multum infeſtabatur* (Paulus) *Roman.* 7. *non enim quod volo &c. Igitur ego ipſe mente ſervio legi Dei &c. Unde Auguſtinus dicit quod inerant ei motus concupiſcentię, quos tamen Divina Gratia refrenabat; Iſte, inquam, ſtimulus eſt (Angelus Satanæ) ideſt Angelus malignus &c. Timeat peccator, ſi Apoſtolus, & vas electionis ſecurus non erat; de remotione autem hujus ſtimuli removendi ſolicitus erat Apoſtolus, & vas electionis ſecurus non erat; de remotione autem hujus ſtimuli removendi ſolicitus erat Apoſtolus. Unde propter hoc orabat &c.* (a) *ergo & ſtimulus carnis ſecundum ſe eſt vitandus, ut affligens &c. Virtus in infirmitate perficitur, ideſt occaſio perveniendi ad perfectam virtutem, quia homo ſciens ſe infirmum, magis ſolicitatur ad reſiſtendum, & ex hoc quòd magis reſiſtit, & pugnat, efficitur exercitatior, & per conſequens fortior; Et ideò in Levit. legitur, & Judic.* 3. *quòd Dominus noluit deſtruere omnes habitatores terræ, ſed aliquos reſervavit, ut ſcilicet filii Iſrael exercitarentur pugnando cum eis. Sic etiam Scipio nolebat deſtructionem Civitatis Carthaginenſis, ut ſcilicet dum Romani haberent hoſtes exterius, non ſentirent hoſtes interiores, contra quos durius bellum eſt, quàm contra exteriores, ut ipſe dicebat.*

Quot Auguſtini, & Angelici Doctoris ſententiæ: tot ſanè damnatæ Queſnellianæ Theſis ineluctabiles confutationes.

K PRO-

(a) *In Epiſtola* 2. *ad Corinth. cap.* 12. *lect.* 3.

PROPOSITIO XLIV.

Non ſunt, niſi duo Amores, unde volitiones, & actiones omnes noſtræ naſcuntur; amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur, & amor, quo nos ipſos, ac Mundum diligimus, qui quod ad Deum referendum eſt, non refert, & propter hoc ipſum fit malus.

Queſnellus Joan. 5. 29. edition. 1693. & 1699.

Cum hac in Theſi Queſnellus unicum Dei amorem ſtatuat bonum; in prima verò ſua propoſitione affirmet *nihil aliud remanere animæ, quæ Deum, atque ipſius gratiam amiſit, niſi peccatum*: non quemcumque profectò hic vel naturalem Dei, vel honeſti amorem, ſed Theologicum duntaxat amorem juſtificantem, ſeu Theologicam charitatem ſanctificantem intelligat neceſſe eſt, quæ cum juſtificante gratia *in cordibus hominum* (a) *per Spiritum Sanctum diffunditur, atque illis inhæret*, uti definit Synodus œcumenica Tridentina. Ut enim ex prima propoſitione Queſnelli conſtat, peccatum eſt quidquid peccator ſine ſanctificante gratia operatur. Sed amorem naturalem Dei ut auctoris naturæ, vel honeſti amorem poteſt quidem peccator ſine gratia juſtificante elicere, ac re ipſa elicit aliquando. Ergo hujuſmodi actus amoris Queſnellus cenſet peccata. Cum autem ipſemet in hac Theſi unicum amorem Dei bonum agnoſcat, atque aſſignet; ſequitur igitur, ut nullum alium amorem Dei, quàm Theologicum ſanctificantem, ſeu Theologicam juſtificantem charitatem intelligat, quæ à gratia ſanctificante ne tranſverſum quidem unguem avellitur. Quo-

(a) *Seſſion. 6. de juſtificat. canon. 11.*

Quoniam igitur, ut hactenus demonſtratum eſt, Queſnellus in hac ſua Theſi de amore Dei ſolum Theologico juſtificante loquitur, atque hunc duntaxat bonum cenſet, cæteros verò amores, ut naturalem Dei amorem, & honeſti amorem pravos judicat: ageſis videamus à quonam hæretico falſam hujuſmodi opinionem homo hauſerit, & expreſſerit, quo melius refellatur. Quid? ſi illi errorem hunc hæreſiarcha Calvinus commendaverit, utpote qui in antidoto ad ſeſſionem 6. Tridentinæ Synodi ſic deblaterat: *Dei judicio nihil eſt ſyncerum, nec bonum, niſi quod ex perfecto ejus amore manat.* Hactenus igitur ſatis perſpeximus, cum quo Queſnellus conſentiat; perpendamus jam à quonam idem diſſentiat. Repugnat ille quidem certe œcumenicæ Synodo Tridentinæ, quæ ſeſſion. 14. cap. 4. ſic ſtatuit: *Illam verò contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex geennæ, & pęnarum metu communitèr concipitur, ſi voluntatem peccandi excludat, cum ſpe venię; declarat non ſolum non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, verum etiam donum Dei eſſe, & Spiritus Sancti impulſum non adhuc quidem inhabitantis, ſed tantum moventis; quo pœnitens adjutus viam ſibi ad juſtitiam parat; & quamvis ſine Sacramento Pœnitentiæ per ſe ad juſtificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pęnitentiæ impetrandum diſponit.*

Queſnelle quid reſpondes ad hæc? negare ne audes hujuſmodi attritionem eſſe opus morale bonum quidem, atque honeſtum? at Concilium œcumenicum Tridentinum ſtatuit, eam eſſe *donum Dei, & Spiritus Sancti impulſum.* Num dicis hanc ſine charitate Theologica minime concipi? At Concilium dicit *eam eſſe impulſum Spiritus Sancti nondum inhabitantis, ſed tantum moventis.*

Ergo illa ſine Theologica charitate à Peccatore concipitur; alioquin eſſet impulſus Spiritus Sancti inhabitantis,

cum, ubi Theologica charitas præſtò adeſt, ibi Spiritus Sanctus inhabitet.

Hæc eſt demum ſumma Concluſionis. Tu quidem Queſnelle mi in iſta XLIV. Theſi affirmas malum eſſe quidquid ex charitate non profluit. At Concilium Tridentinum pronunciat attritionem, quæ haud ex charitate manat, *donum Dei eſſe, & Spiritus Sancti impulſum*, ac proinde actum moralem, bonum atque honeſtum; Jam ne vides, quam miſerè Tridentinæ generali Synodo refragaris?

Sanctus demum Pius V., Gregorius XIII., & Urbanus VIII. damnaverunt propoſitionem illam Bay XXXVIII., quæ ità habet: *omnis amor Creaturæ rationalis, aut vitioſa eſt cupiditas, qua Mundus diligitur, quæ à Joanne prohibetur, aut laudabilis illa charitas, qua per Spiritum Sanctum in corde diffuſa Deus amatur.*

Alexander quoque VIII. Summus Pontifex damnavit Theſim illam VII. à Janſenianis recuſam: *Omnis humana actio deliberata eſt Dei dilectio, vel Mundi; ſi Dei charitas, Patris eſt, ſi Mundi, concupiſcentia carnis, hoc eſt mala eſt.*

Has autem propoſitiones univerſalis etiam reprobavit Eccleſia; Ergo Queſnellianam quoque iſtam, quæ ex hiſce fluxit, reijcit, ac deteſtatur.

Sanctus autem Auguſtinus lib. de Patientia cap. 26. ſic ſentit: *Si quis non habens charitatem in aliquo ſchiſmate conſtitutus, ne Chriſtum neget, patitur tribulationes, anguſtias, famem &c. nullo modo iſta culpanda ſunt; imò verò & hæc laudanda patientia eſt.*

Hoc loco Divus Auguſtinus patientiam ſchiſmatici charitatem non habentis, laudandam indicat. Falleris ergo Queſnelle, cum ſentias peccatum eſſe quidquid non proficiſcitur *ex amore Dei omnia agente propter Deum.*

Rurſus idem Sacer Doctor lib. 4. contra Julianum cap. 3. ita ſcribit: *Ex quo colligitur etiam ipſa bona opera, quæ faciunt infideles, non ipſorum eſſe, ſed illius, qui benè utitur malis.*

San-

Sanctus Hieronymus Doctor maximus in cap. 1. epiſtolæ ad Galat. *multi* (ait) *abſque Fide, & Evangelio Chriſti, vel ſapientèr faciunt aliqua , vel ſanctè , ut parentibus obſequantur , ut inopi manum porrigant , non opprimant vicinos , non aliena diripiant .*

Certè qui Fide carent, minime charitatem Theologicam habent, & tamen juxta Sanctum Hieronymum hujuſmodi Farinæ homines aliqua opera moralia honeſta, quæ non ex charitate Theologica profluunt, efficiunt.

Sanctus denique Thomas 2. 2. qu. 10. art. 4. ita : *Sed quandocumque aliquid opus operantur ex infidelitate , tunc peccant . Sicut enim habens fidem poteſt aliquod peccatum committere in actu , quem non refert ad fidei finem , vel venialitèr , vel etiam mortalitèr peccando : Ita etiam infidelis poteſt aliquem actum bonum facere , in eo quod non refert ad finem infidelitatis .* Si videlicet ſuum opus in finem moralis honeſtatis, vel continentiæ, vel miſericordiæ, vel cuiuſcumque moralis virtutis dirigat. Vehementer igitur erras mi Queſnelle quòd prædices opera omnia, quæ non ex charitate perfecta manant, eſſe peccata.

PROPOSITIO XLV.

Amore Dei in corde Peccatorum non amplius regnante neceſſe eſt, ut in eo carnalis regnet cupiditas, omneſque actiones ejus corrumpat.

Queſnellus Matth. 5. 28. *edition.* 1693. & 1699.

QUoniam in XLIV. Propoſitione nullum alium amorem Dei ut bonum Queſnelle ſtatuas, niſi amorem Theologicum, ſeu juſtificantem, ut vidimus: ſequitur ut hìc etiam pro *amore* Dei nullum alium, quàm Theologicum ſanctificantem amorem intelligas. Cùm verò in hac propoſitione dicas: *amore Dei in corde Peccatorum non amplius regnante*; eos oportet intelligas in peccato mortali eſſe; cum verò addas *omnes ipſorum actiones carnali cupiditate corrumpi*; ſentis profectò hominem, quidquid in peccato mortali fecerit, peccare mortaliter; atque ob eam cauſam conſentis cum Joanne VVicleffo hæretico, cujus hæc eſt propoſitio: *ex principiis fidei eſt per ſe notum, quòd quidquid homo in mortali peccato fecerit, peccat mortaliter.*

Sed hanc VVicleffianam Theſim Conſtantienſe generale Concilium ſeſſione 15. damnavit. Tuam igitur VVicleffianæ omnino conſonam, ac ſimillimam condemnaverit neceſſe eſt.

S. demum Pius V., Gregorius XIII., & Urbanus VIII. damnaverunt propoſitionem illam Bay XXXVIII., quæ ità habet: *Omnis amor Creaturæ rationalis aut vitioſa eſt cupiditas, qua Mundus diligitur, quæ à Joanne prohibetur, aut laudabilis illa charitas, qua per Spiritum Sanctum in corde diffuſa Deus amatur.*

Alexander quoque Octavus Summus Pontifex damnavit Propoſitionem illam VII. à Janſenianis recuſam: *Omnis humana actio deliberata, eſt Dei dilectio, vel Mundi, ſi Dei, charitas Patris eſt, ſi Mundi, concupiſcentia carnis, hoc eſt, mala eſt.*

Iſtas

Iſtas verò Propoſitiones univerſalis reprobavit Eccleſia; Ergo Queſnellianam quoque hanc, quæ ex illis fluxit, reprobat, & execratur.

Præterea Sanctus Auguſtinus epiſtola 130. inquit: *Xenocrates Polemonem, ut ſcribitis, & nos ex illius literis recordamur, de fruge temperantiæ diſputando, non ſolum ebrioſum, verum etiam tunc ebrium ad mores alios repentè convertit. Quamquam ergo ille, ſicut prudenter, & veraciter intellexiſtis, non Deo fuerit acquiſitus, ſed tantum à dominatu luxuriæ liberatus; tamen ne id ipſum quidem quod melius in eo factum eſt, humano operi tribuerim, ſed Divino. Ipſius namque corporis quod eſt infimum noſtrum, ſi qua bona ſunt, ſicut forma, & vires, & ſalus, & ſi quid ejuſmodi eſt, non ſunt, niſi ex Deo Creatore, ac Perfectore naturæ, quanto magis animi bona donare nullus alius poteſt? Quid enim ſuperbius, vel ingratius cogitare poteſt humana vecordia, ſi putaverit cum carne pulchrum faciat Deus hominem, animo caſtum ab homine fieri? Polemo ergo ſi ex luxurioſo continens factus ità ſciret, cujus eſſet hoc donum, ut eum abjectis ſuperſtitionibus gentium, piè coleret; non ſolum continens, ſed etiam veraciter ſapiens, & ſalubriter religioſus exiſteret, quod ei non tantum ad præſentis vitæ honeſtatem, verum etiam ad futuræ immortalitatem valeret.*

E ſententia Divi Auguſtini continentia Polemonis ethnici fuit donum Dei; nec tamen ex amore Dei agente propter Deum omnia, promanavit. Donum autem Dei quiſnam peccatum audeat nuncupare?

Sanctus denique Thomas lib. 2. ſententiar. diſtinct. 41. articul. 2. quærit, *utrum aliquis actus hominis infidelis poſſit eſſe bonus, ac decidit quæſtionem ità: Non eſt conſilium, niſi de bono: ſed infidelibus conſulitur, ut aliqua de genere bonorum faciant. Ergo illorum actus non omnes ſunt mali. Præterea nihil laudabile eſt, vel laudatur, niſi bonum, ſed Sancti, ut Hieronymus, & Auguſtinus ſapè laudant aliquos Gentiles de aliquibus operibus: ergo aliqua opera ipſorum fuerunt bona.*

Hoc ſanè loco tres clariſſimi Eccleſiæ Doctores Hieronymus, Auguſtinus, ac Thomas contra Queſnellum clamant aliqua Ethnicorum opera, quæ certè quidem ex charitate perfecta minimè profluxerunt, bona moralia, honeſtaque fuiſſe.

PROPOSITIO XLVI.

Cupiditas, aut charitas uſum ſenſuum bonum, vel malum faciunt.

Queſnellus Matth. 5. 28. *editione* 1693. & 1699.

CUm in XLIV. Theſi Queſnelle nullum alium amorem Dei, ſeu charitatem bonam agnoſcas, niſi Theologicam charitatem ſanctificantem, & amorem Theologicum juſtificantem, ut oſtendimus; etiam hìc pro *charitate* Theologicam juſtificantem charitatem oportet intelligas. Hæc autem Propoſitio propter arctiſſimum conjunctionis vinculum cum XLIV., & cum LIII., charitati Theologicæ ſoli bonum uſum ſenſuum tribuit, atque ob eam cauſam repugnat generali Synodo Tridentinæ, quæ præter charitatem Theologicam aliis quoque virtutibus, atque actibus bonum ſenſuum uſum aſcribit; cum fidem, quæ certè quidem virtus eſt, ſine charitate conſiſtere poſſe, ac re ipſa conſiſtere fateatur ſeſſione 6. canone 28. *Si quis dixerit amiſſa per peccatum gratia, ſimul & fidem ſemper amitti, aut fidem, quæ remanet, non eſſe veram fidem, licet non ſit viva, aut eum, qui fidem ſine charitate habet, non eſſe Chriſtianum, anathema ſit.*

Quæ cum ità ſint, liceat mihi in eam ſententiam ratioci-

na-

nari. E ſententia Tridentinæ Synodi œcumenicæ poteſt conſiſtere, ac re ipſa conſiſtit ſine charitate fides, ut videre eſt in peccatore catholico, qui licet expers charitatis ſit; per fidem tamen revelanti Deo ità præſtat mentis obſequium, ut illius tanquam ſummæ ac primæ veritatis auctoritati firmiſſimè adhæreſcat, captivans intellectum ad credenda obſcura æquè, atque altiſſima myſteria dogmatum, quæ ſub humanam intelligentiam non cadunt. Hoc autem obſequium, morale bonum, honeſtumque eſt; imo verò etiam actus latriæ habetur, quo Deum tanquam ſupremam veritatem, quæ nec falli poteſt, nec fallere, fidelis veneratur, & colit; Falleris ergo Queſnelle, quod charitati ſoli uſum bonum ſenſuum tribuas, manifeſtòque Tridentinæ Synodo refragaris.

Prætérea dum ità charitati ſoli bonum uſum ſenſuum arrogas, ut quidquid à charitate minimè profluit, à cupiditate, quæ malum uſum ſenſuum facit, exoriatur: ſentias neceſſe eſt contritionem illam, quæ à charitate non promanat, malam eſſe, ac proindè ſequitur ut conſentias cum Luthero, qui in aſſert: Articulorum contra Bullam Leonis aſſertion. 6. dicit: *Contritio, quæ paratur per amiſſionem beatitudinis, facit hypocritam, imo magis peccatorem.*

Sed Lutherum, & quotquot hac in re ejus aſſeclas generalis Tridentina Synodus ſeſſione 6. canone 8. damnavit his verbis: *ſi quis dixerit geennæ metum, per quem ad miſericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel à peccando abſtinemus, peccatum eſſe, aut peccatores pejores facere, anathema ſit.*

Elige utrum velis Queſnelle: ſi contritionem, quæ à charitate non manat, ut malam reſpuis; extemplo in tuum æquè, atque Lutheri caput recidit Tridentinæ Synodi anathema illud, quod modò memoravimus: ſin autem ut bonam probas; falſa utique eſt propoſitio iſthæc tua, quæ charitati ſoli uſum bonum ſenſuum arrogat.

Summi Pontifices Sanctus Pius V., Gregorius XIII., & Ur-

Urbanus VIII. damnaverunt propoſitionem illam Bay, quæ ità habet: *Omnis amor creaturæ rationalis aut vitioſa eſt cupiditas qua Mundus diligitur, quæ à Joanne prohibetur, aut laudabilis illa charitas, quæ per Spiritum Sanctum in corde diffuſa Deus amatur.*

Alexander tandem VIII. Summus Pontifex damnavit Propoſitionem illam ſeptimam à Janſenianis recuſam; *Omnis humana actio deliberata, eſt Dei dilectio, vel Mundi: ſi Dei, charitas Patris eſt, ſi Mundi, concupiſcentia carnis, hoc eſt mala eſt.*

Iſtas verò propoſitiones, quas ſupramemorati Summi Pontifices damnaverunt, univerſalis Eccleſia reprobavit; eadem ratione ergo Queſnellianam hanc, quæ ex illis fluxit, reijcit, & execratur.

Doctor autem Maximus Auguſtinus de verbis Apoſtoli ſermone 13. ità: *Timor ſervus eſt, charitas libera eſt; & ut ſic dicamus, timor eſt ſervus charitatis. Ne poſſideat Diabolus cor tuum, præcedat ſervus in corde tuo, & ſervet Dominæ venturæ locum: fac, fac, vel timore pœnæ, ſi nondum potes amore juſtitiæ.* (*a*)

Auguſtinus igitur pœnæ timorem licet charitatis expertem, bonum tamen judicat, dum hortatur humanum arbitrium *ad faciendum vel timore pœnæ, ſi nondum poteſt amore juſtitiæ.* Hallucinatur ergo Queſnellus noſter, quòd ſtatuat, ac definiat velut malum, quidquid ex charitate non profluit.

Divus Thomas 2. 2. quæſt. 23. artic. 7. in corpore ait: *Si accipiatur virtus ſecundum quod eſt in ordine ad aliquem finem particularem, ſic poteſt aliqua virtus dici ſine charitate, in quantum ordinatur ad aliquod particulare bonum; ſed ſi illud particulare bonum non ſit verum bonum, ſed apparens, virtus etiam, quæ eſt in ordine ad hoc bonum, non erit vera virtus, ſed falſa ſimilitudo virtutis; ſicut non eſt vera virtus avarorum pru-*

(a) *Sermon. 13. cap. 13.*

prudentia, qua excogitant diverſa genera Lucellorum; & avarorum juſtitia, qua gravium damnorum metu contemnunt aliena, & avarorum temperantia, qua luxuriæ, quæ ſumptuoſa eſt, cobibent appetitum; & avarorum fortitudo, qua, ut ait Horatius lib. primo Epiſtolarum: Per mare pauperiem fugiunt, per ſaxa, per ignes, ut Auguſtinus dicit in quarto libro contra Julianum. Si verò illud bonum particulare ſit verum bonum, puta, conſervatio Civitatis, vel aliquid hujuſmodi, erit quidem vera virtus, ſed imperfecta, niſi referatur ad finale, & perfectum bonum.

E ſententia Divi Thomæ poteſt eſſe vera virtus ſine charitate, licet ſit imperfecta. Ergo non eſt malum, neque hypocriſis quidquid à charitate non manat, ut putat Queſnellus.

PROPOSITIO XLVII.

Obedientia legis profluere debet ex fonte, & hic fons eſt charitas; Quando Dei amor eſt illius principium interius, & Dei gloria ejus finis; tunc purum eſt quod apparet exterius: alioquin non eſt, niſi hypocriſis, aut falſa juſtitia.

Queſnellus Matth. 23. 26. editione 1693.

DUm in XLIV. Theſi Queſnelle nullum alium amorem Dei, ſeu charitatem bonam aſſignes, niſi Theologicam charitatem juſtificantem, ſeu amorem Theologicum ſanctificantem: Hoc loco etiam pro *charitate* Theologicam juſtificantem charitatem intelligas neceſſe eſt. Obedientia ve-

verò legis, e Sententia tua, niſi ex charitate Theologica profluat; hypocriſis eſt. Sed Eccleſia catholica omnibus ad unum, etiam peccatoribus, qui ſunt charitate orbati, Jejunium Quadrageſimæ, ac Sacri auditionem diebus Feſtis præcipit, ut patet. Sequitur igitur e ſententia tua, ut Eccleſia Catholica hypocriſim peccatoribus præcipiat. Sed qui alteri hypocriſim præcipit, peccat. Ergo Eccleſia Catholica, quæ juxta Te hypocriſim peccatoribus præcipit, peccat, ideoque juxta Te non eſt Sancta; ac proinde magnæ, & œcumenicæ Nicenæ Synodi Symbolo contradicis, quod nobis imperat, *ut in unam, Sanctam Eccleſiam Catholicam credamus.*

Tum Sanctus demum Pius V., Gregorius XIII., & Urbanus VIII. Summi Pontifices damnaverunt XVI. Propoſitionem Bay, cujus hæc eſt ſententia: *Non eſt vera obedientia legis, quæ fit ſine charitate*: tum univerſa Eccleſia illam reprobavit, ac deteſtata eſt. Ergo etiam XLVII. iſtam tuam Bajanæ iſti XVI. omnino conſonam, ac Synonimam allati Summi Pontifices, ac univerſalis Eccleſia ore pleno, unaque voce condemnant, reſpuunt, ac perhorreſcunt.

Divus Auguſtinus Epiſtola 5. ad Marcellinum dicit: *Rempublicam primi Romani conſtituerunt, auxeruntque virtutibus, & ſi non habentes verampietatem erga Deum verum, quæ etiam illos in æternam Civitatem poſſet ſalubri religione perducere.*

Romani profecto veteres utpote Idolorum cultores, erant charitate orbati; & tamen propter juſtitiam, aliaſque virtutes merè morales promeruerunt à Deo imperium, ut ſentit Magnus Auguſtinus. Ergo fallitur Queſnellus quòd ſentiat quidquid non ex charitate perfecta profluit, eſſe peccatum.

Divus Thomas 2. 2. quæſt. 23. artic. 1. ait: *Ad primum ergo dicendum quòd actus alicujus charitate carentis poteſt eſſe duplex: unus quidem ſecundum hoc quod charitate caret, utpote cum facit aliquid in ordine ad id, per quod caret charitate, & talis actus ſem-*

ſemper eſt malus, ſicut Auguſtinus dicit in 4. contra Julianum (a) quod actus infidelis in quantum eſt infidelis, ſemper eſt peccatum, etiamſi nudum operiat, vel quidquid aliud hujuſmodi faciat, ordinans ad finem ſuæ infidelitatis. Alius autem poteſt eſſe actus charitate carentis, non ſecundum id quod charitate caret, ſed ſecundum quod habet aliquod aliud donum Dei, vel fidem, vel ſpem, vel etiam naturæ bonum, quod non totum per peccatum tollitur, ut ſupra dictum eſt; Et ſecundum hoc ſine charitate poteſt quidem eſſe aliquis actus bonus ex ſuo genere; non tamen perfectè bonus; quia deeſt debita ordinatio ad ultimum finem.

Quare Tu Queſnelle refragaris Doctori Angelico, dum ſtatuis quidquid ex charitate non proficiſcitur, peccatum eſſe, atque hypocriſim?

Oppoſitiones Queſnellianorum.

Opponunt nobis Queſnelliani Divum Auguſtinum, qui libro de gratia, & libero arbitrio cap. 18. ſic ait: *Præcepta charitatis tanta, & talia ſunt, ut quidquid ſe putaverit homo facere bene, ſi fiat ſine charitate, nullo modo fiat bene*; & lib. primo de gratia Chriſti cap. 26. *Quid boni faceremus, niſi diligeremus?* eodemque lib. primo gratiæ Chriſti cap. 26. ſic ait: *Ubi non eſt dilectio, nullum bonum opus imputatur, nec rectè bonum opus vocatur.*

Reſponſio.

Egregiè Queſnelliani mei Magnum Auguſtinum recitaſtis: an verò arbitramini aliquid me de meo, ut ſatis vobis faciam, allaturum? Apage. Ipſemet ſanè Auguſtinus pro ſe reſpondeat, ſuamque ſententiam nobis aperiat, ut certè quidem præclarè, ac pro dignitate aperit lib. 4. contra Julianum capite 3. *Quoniam ſaltem concedis opera infidelium, quæ tibi eorum videntur bona, non tamen eos ad ſalutem ſempiternam, regnumque perducere: ſcito nos illud bonum hominum dicere, illam voluntatem bonam, illud opus bonum ſine Dei gratia, quæ datur per*

(a) Cap. 3.

per unum Mediatorem Dei, & hominum, nemini poſſe conferri: per quod ſolum homo poteſt ad æternum Dei donum, regnumque perduci.

Quotieſcumque igitur Auguſtinus pronunciat nihil boni ſine dilectione (loquitur autem in citatis locis de dilectione Theologica) liberum patrare arbitrium, & ubi non eſt dilectio, nullum bonum imputari, nec rectè bonum opus vocari: non ſimpliciter negat illud eſſe bonum, ſed profitetur non eſſe illud bonum, quod ad æternum Dei Regnum perducere poteſt, utpote cœleſtis gloriæ meritorium.

Quamobrem, ut paucis rem abſolvam, libenter nos una cum Auguſtino fatemur ſine dilectione, ſeu charitate Theologica nihil fieri boni ſalutaris, quod perducere ad æternam felicitatem, & incorruptam, atque incontaminatam coronam gloriæ promereri queat.

Rurſus cum eodem Auguſtino contra vos prædicamus ſine charitate Theologica liberum humanum arbitrium patrare aliqua bona opera merè moralia, quæ non immortale, ſummum, ac ſempiternum, ſed labile, caducum, fluxumque in hac vita præmium ab optimo, juſtiſſimoque remuneratore Deo promerent, ac obtinent; atque hìc vos provoco ad Auguſtinum, qui certè lib. 5. ad Marcellinum de Civitate cap. 15. gravem in vos fert ità ſententiam: caput enim 15. inſcribit: *De mercede temporali; quam Deus reddidit bonis moribus Romanorum. Quibus ergo* (inquit) *non erat Deus daturus vitam æternam cum Sanctis Angelis ſuis in Civitate ſua Cœleſti, ad cujus ſocietatem pietas vera perducit, quæ non exhibet ſervitutem religionis, quam latriam Græci vocant, niſi uni vero Deo, ſi neque hanc eis terrenam gloriam excellentiſſimi Imperii concederet, non redderetur merces bonis artibus eorum, ideſt virtutibus, quibus ad tantam gloriam pervenire nitebantur. De talibus enim, qui propter hoc, boni aliquid facere videntur, ut glorificentur ab hominibus, etiam Dominus ait; Amen dico vobis, perceperunt mercedem ſuam. Sic & iſti pri-*

va-

vatas res ſuas pro re communi, hoc eſt Republica, & pro ejus ærario contempſerunt, avaritiæ reſtiterunt, conſuluerunt Patriæ conſilio libero, neque delicto ſecundum ſuas leges, neque libidini obnoxii; ſed his omnibus artibus tanquam vera via niſi ſunt ad honores, imperium, gloriam; honorati ſunt in omnibus ferè gentibus: Imperii ſui leges impoſuerunt multis Gentibus, hodieque literis, & Hiſtoria glorioſi ſunt pene in omnibus Gentibus. Non eſt quod de ſummi, & veri Dei juſtitia conquerantur: Perceperunt mercedem ſuam.

Romani utpote Idolorum cultores charitate illa, quæ omnia propter Deum verum agit, orbati erant; & tamen ſi magno creditis Auguſtino, virtutes merè morales excoluerunt, bonis moribus erant præditi, ac bona opera merè moralia patraverunt, quibus merces à Deo bono, juſtoque redderetur. Fallitur ergo Queſnellus veſter, voſque miſerè incautos decipit, quòd definiat peccatum eſſe quidquid fit ſine charitate, ſeu amore, qui agit omnia propter Deum.

PRO-

PROPOSITIO XLVIII.

Quid aliud eſſe poſſumus, niſi tenebræ, niſi aberratio, & niſi peccatum, ſine fidei lumine, ſine Chriſto, & ſine charitate?

Queſnellus Epheſ. 5. 8. *editione* 1693. & 1699.

DUm in XLIV. Theſi Queſnelle nullum alium amorem Dei, ſeu charitatem, niſi Theologicam juſtificantem charitatem, & amorem Theologicum ſanctificantem bonum conſtanter aſſeris; in hac etiam Theſi pro *charitate*, Theologicam juſtificantem charitatem oportet intelligas. Hæc autem Propoſitio repugnat Sacræ Scripturæ. Inſignis quippè locus extat Danielis 4., ubi, cum Daniel prædixiſſet Regi Nabuchodonoſor gravem pœnam temporalem à Deo propter peccata ſua infligendam; eundem hortatur ad eleemoſynas, quibus redimat, vel avertat pœnam illam temporalem; *Nunc* (inquit) *Rex conſilium placeat tibi; peccata tua eleemoſynis redime.*

Quodſi eleemoſynæ hominis infidelis, Idolorum cultoris, qui certè quidem ſine fidei lumine, ſine Chriſto, & ſine charitate erat; poterant pęnam temporalem avertere; bonæ utique morales, honeſtæque actiones erant, non peccata, ut patet; cum peccata nequaquam iram Dei mitigent, ſed magis accendant.

Propoſitio igitur iſthæc tua cum Sacra Scriptura manifeſtò pugnat, quippe quæ Ethnicis fidei lumine, Chriſto, & charitate orbatis nil aliud, niſi peccatum: Scriptura verò aliquas virtutes etiam morales attribuat.

Prætereà iſta propoſitio VVicleffianæ illi æquiparatur, cujus hæc eſt ſententia: *Quidquid homo in mortali peccato fecerit, peccat mortaliter.*

Hanc

Hanc verò Propoſitionem Conſtantienſis generalis Synodus ſeſſ. 15. damnavit; ergo etiam tuam huic omninò conſonam condemnavit.

Sanctus demum Pius V., Gregorius XIII., & Urbanus VIII. Summi Pontifices damnaverunt XXII. hanc Bay Propoſitionem, quæ habet: *Cum Pelagio ſentiunt, qui textum Apoſtoli ad Roman. 2. Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis ſunt, faciunt; intelligunt de Gentibus fidei gratiam non habentibus*, eandemque Bay Propoſitionem univerſa Eccleſia reprobavit: ſentiunt ergo Summi Pontifices, & univerſa Eccleſia homines ſine fidei lumine, ſine Chriſto, ac ſine charitate aliqua bona opera, moralia, & honeſta naturaliter, quæ legis ſunt, patrare, Teque diſcrepantem elinguem reddunt.

Rurſus ipſi Summi Pontifices Pius V., Gregorius XIII., & Urbanus VIII. damnaverunt XXV. Bay Propoſitionem, quæ ſic habet: *omnia opera infidelium ſunt peccata:* quæ quidem Propoſitio eſt XLVIII. tuæ omnino conſona, ac ſynonima. Cum autem & allati Summi Pontifices, & univerſa Eccleſia XXV. Bay Theſim condemnaverint; tuam quoque reprobent, ac deteſtentur neceſſe eſt.

Divus autem Auguſtinus lib. 4. contra Julianum cap. 3. inquit, *etiam ipſa bona opera, quæ faciunt infideles, non ipſorum ſunt, ſed illius, qui benè utitur malis*.

Divus Thomas lib. 2. ſententiarum diſtinct. 41. artic. 2. quærit *utrum aliquis actus hominis infidelis poſſit eſſe bonus*; & decidit quæſtionem in eam ſententiam. *Non eſt conſilium, niſi de bono; ſed infidelibus conſulitur, ut aliqua de genere bonorum faciant, ergo illorum actus non omnes ſunt mali; Præterea nihil laudabile eſt, vel laudatur, niſi bonum; ſed Sancti, ut Hieronymus, & Auguſtinus ſæpè laudant aliquos gentiles de aliquibus operibus. Ergo aliqua opera ipſorum fuerunt bona.*

Ethnici quidem, qui venerabantur Idola, ſine Fidei lumine, ſine Chriſto, & ſine Charitate erant; & tamen Sanctus

ctus Auguſtinus illos, ac Doctor Angelicus aliqua bona opera, ſcilicet merè moralia patraſſe ore pleno prædicant. Quare igitur Tu Queſnelle contra tantorum Doctorum ſententiam de tuo definis hujuſmodi homines nihil aliud, niſi peccatum fuiſſe?

Oppoſitio Queſnellianorum.

Divus Auguſtinus inquit: *omnia opera Infidelium ſunt peccata, & omnis Infidelium vita peccatum eſt*, ut habetur in ſententia 106. Proſperi. Ergo rectè dixit Queſnellus nihil aliud eſſe homines poſſe, niſi tenebras, niſi aberrationem, & niſi peccatum ſine fidei lumine, ſine Chriſto, & ſine charitate.

Reſponſio.

Quamquam videatur Queſnellus veſter ad Auguſtinum ſimilitudine verborum accedere; Sententiis tamen Auguſtinus tantum à Queſnello diſtat, quantum veritas à falſitate. Auguſtinus enim ſatis clarè ſuam ſententiam aperit. Lib. 4. cap. 3. contra Julianum ità: *Quòd ſi & ipſa per ſe ipſam naturali compaſſione opus eſt bonum; etiam iſto bono male utitur, qui infideliter utitur, & hoc bonum male facit, qui infideliter facit, qui autem male facit aliquid, profectò peccat. Ex quo colligitur etiam ipſa bona opera quæ faciunt infideles, non ipſorum eſſe, ſed illius, qui benè utitur malis: ipſorum autem eſſe peccata, quibus, & bona male faciunt, quia ea non fideli, ſed infideli, hoc eſt, ſtulta, & noxia faciunt voluntate.*

Perpendite verò diligenter Queſnelliani mei particulam illam *INFIDELITER*, & ſequentes voces *NON FIDELI, SED INFIDELI, HOC EST STULTA, ET NOXIA VOLUNTATE*. Hiſce quippè vocibus Auguſtinus indicat clare infidelem non ex dictamine rationis, ſed *PROUT INFIDELIS EST*, ideſt propter finem pravum ſuæ infidelitatis agentem, peccare. Sic ſe ipſum interpretatur Auguſtinus, alioquin ſecum pugnaret, ſi ſentiret omnia opera infidelium

eſſe

eſſe peccata, illa etiam, quæ non propter infidelitatis ſuæ ſceleſtum finem, ſed ob amorem honeſti, infideles patrant: cum tot laudibus opera merè moralia veterum Romanorum, non ſolum ut bona extulerit, ſed etiam digna pronunciaverit, quæ in hac vita præmio excellentiſſimi Imperii à Deo bono, & juſto compenſarentur.

E ſententia Divi Auguſtini ergo infidelis toties peccat, quoties agit, *UT INFIDELIS*, ideſt, quoties opus ſuum dirigit ad finem ſuæ infidelitatis. Ita plane fideliſſimus Auguſtini, ac verax interpres Divus Thomas, quo nemo melius intellexit Auguſtinum, ſententiam tanti Doctoris interpretatur 2. 2. qu. 23. artic. 7. *Ad primum ergo* (inquit) *dicendum quod actus alicujus charitate carentis poteſt eſſe duplex, unus quidem ſecundum hoc, quod charitate caret, & talis actus ſemper eſt malus, ſicut Auguſtinus dicit in 4. contra Julianum; quod actus infidelis in quantum eſt infidelis, ſemper eſt peccatum, etiamſi nudum operiat, vel quidquid aliud hujuſmodi faciat, ordinans ad finem ſuæ infidelitatis. Alius autem poteſt eſſe actus charitate carentis, non ſecundum quod charitate caret, ſed ſecundum quod habet aliquod aliud donum Dei, vel fidem, vel ſpem, vel etiam naturale bonum, quod non totum per peccatum tollitur, ut ſupra dictum eſt, & ſecundum hoc ſine charitate poteſt quidem eſſe aliquis actus bonus ex ſuo genere, non tamen perfectè bonus; quia deeſt debita ordinatio ad ultimum finem.*

E Sententia itaque Divi Auguſtini, ac Divi Thomæ infidelis peccat, ſi *prout infidelis* agat, exempli cauſa ſi ad honorem ſuorum Deorum virginitatem ſervet, vel eleemoſynam eroget; ſecus verò, ſi ob amorem honeſti Patriæ libertati, ac ſaluti ſanguinem generosè devoveat, miſeris opem ferat, occumbere malit, quàm fidem fallere.

Queſnellus autem veſter, qui in propoſitione XLIV. XLV. XLVII. XLVIII. ſentit, quidquid ex Theologica charitate non profluit, malum, hypocriſim, & peccatum eſſe; quonam pacto conſentire potuerit cum Auguſtino, qui

vel Ethnicis charitate Theologica orbatis virtutes tribuit, & bona opera præmio mortali, fluxaque mercede digna inesse illis toties prædicavit?

Oppoſitio Queſnellianorum.

Beatus Paulus Apoſtolus epiſtola ad Romanos cap. 14., & Auguſtinus lib. 3. contra duas epiſtolas Pelagianorum ad Bonifacium cap. 5. dicunt, *omne, quod non eſt ex Fide, peccatum eſt*, ſed opera Infidelium non ſunt ex Fide. Ergo ſunt peccata.

Reſponſio.

Hic enim verò Queſnelliani chariſſimi videmini Cœlum digito attigiſſe, ac de noſtra ſententia triumphaſſe; ſed longè aliter, ac rati eſtis, res ſe habet. Ipſemet Divus Thomas, quem Janſenius *Auguſtinum contractum* prædicat, Apoſtoli Pauli, & Auguſtini ſententiam tam fideliter, clarèque aperit, ut meam cauſam ſublevet, veſtram labefactet. Sic enim Doctor Angelicus laudatam Apoſtoli, & Auguſtini ſententiam: *omne quod non eſt ex fide peccatum eſt*, explicans ait: *Ex quo videtur, quòd ſicut dicitur in gloſſa, omnis vita infidelium peccatum ſit, ſicut omnis vita fidelium eſt meritoria, in quantum ad Dei gloriam ordinatur, ſecundum illud 1. Corinth. 10. ſive manducatis, ſive bibitis, ſive aliquid aliud facitis, omnia in gloriam Dei facite. Sed dicendum eſt* (*a*) *quòd aliter ſe habet fidelis ad bonum, & infidelis ad malum; nam in hominem, qui habet fidem formatam, nihil eſt damnationis, ut ſupra 8. dictum eſt; ſed in homine infideli cum infidelitate eſt bonum natura, & ideò cum aliquis infidelis ex dictamine rationis aliquod bonum facit, non referendo ad malum finem, non peccat; non tamen opus ejus eſt meritorium, quia non eſt gratia informatum; & hoc eſt quod in gloſſa dicitur, nihil bonum eſt ſine ſummo bono, ideſt nullum bonum meritorium eſt ſine gratia Dei; & ubi deeſt agnitio vitæ æternæ, & incommutabilis veritatis, quæ ſcilicet eſt per fidem, falſa virtus eſt in optimis moribus, in quantum ſci-*

(a) *In Epiſtola ad Rom. cap. 14. Lect. 3.*

ſcilicet non refertur ad finem beatitudinis æternæ. Cum verò homo infidelis aliquid agit ex eo quod infidelis eſt, manifeſtum eſt quod peccat. Unde in gloſſa cum dicitur: opus omne, quod non eſt ex fide peccatum eſt; ſic eſt intelligendum omne quod eſt contra fidem, vel contra conſcientiam, peccatum eſt, & ſi ex genere ſuo bonum eſſe videatur, puta, ſi paganus ad honorem ſuorum Deorum virginitatem ſervet, vel eleemoſynam det, hoc ipſo peccat, Tit. 1. coinquinatis, & infidelibus nihil mundum eſt, ſed inquinatæ ſunt eorum, & mens, & conſcientia.

Jam ne videtis quam miſerè veſtra iſthæc argumentatio ineluctabili Divi Thomæ interpretatione ruat, & evaneſcat?

PROPOSITIO XLIX.

Ut nullum peccatum eſt ſine amore noſtri: ità nullum eſt opus bonum ſine amore Dei.

Queſnellus Marc. 7. 22. & 23. *edit.* 1693. & 1699.

QUamquam ratum, firmum, fixumque habetur nullum bonum ſalutare, quod ad beatam æternitatem valet, à Theologica charitate habituali ſejungi; Hæc tamen Queſnelliana Theſis damnatur meritò, atque reijcitur; utpotè quam finitimæ Propoſitiones XLIV. XLV. & XLVII. veneno ſpargunt, & imbuunt. Theſis quippe XLIV. hæc eſt ſententia: *non ſunt niſi duo amores, undè volitiones, & actiones omnes noſtræ naſcuntur; amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur; & amor, quo nos ipſos, ac mundum diligimus, qui quod ad Deum referendum eſt, non refert, & propter hoc ipſum fit malus.*

Propoſitio verò XLV. ità ſe habet: *amore Dei in corde peccatorum non amplius regnante, neceſſe eſt, ut in eo carnalis regnet cupiditas, omneſque actiones ejus corrumpat.*

En demum XLVII. Propoſitio: *Obedientia legis profluere debet ex fonte: & hic fons eſt charitas. Quando Dei amor eſt illius principium interius, & Dei gloria ejus finis, tunc purum eſt quod apparet exterius; alioquin non eſt, niſi hypocriſis, aut falſa juſtitia.* Cum autem Queſnellus in XLIV. Propoſitione, ut demonſtravimus, nullum alium Dei amorem, quàm Theologicum juſtificantem ut bonum approbet: in hac Propoſitione quoque pro *amore Dei* Theologicum juſtificantem amorem oportet intelligat.

Sentit ergo quidquid ex Theologica charitate non profluit, malum, & hypocriſim eſſe, carnalique cupiditate corrumpi, ac proindè opera quoque illa moralia, quæ non ex charitate promanant, mala eſſe. Quapropter cum in hac Propoſitione XLIX. aſſerat nullum eſſe opus bonum ſine amore Dei; ſequitur illicò ut intelligat nullum tam ſalutare, quam merè morale opus eſſe bonum ſine amore Dei, Theologico nempe, ut ex ſupramemorata Propoſitione XLIV. & XLVII. ſatis conſtat, ſed eſſe malum, atque hypocriſim, & carnali cupiditate corrumpi; Ideoque hæc Propoſitio repugnat apertè ſententiæ generalis Concilii Tridentini, quod ſeſſione 14. cap. 4. ſic ſtatuit: *Illam verò contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex geennæ, & pænarum metu communiter concipitur, ſi voluntatem peccandi excludat cum ſpe veniæ, declarat non ſolùm non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, verum etiam donum Dei eſſe, & Spiritus Sancti impulſum non adhuc quidem inhabitantis, ſed tantum moventis, quo pænitens adjutus viam ſibi ad juſtitiam parat, & quamvis ſine Sacramento Pænitentiæ per ſe ad juſtificationem perducere peccatorem nequeat; tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandum diſponit.*

Cum

Cum Tridentina generalis Synodus attritionem *Donum Dei*, *& Spiritus Sancti impulſum* vocet: eandem utique opus morale bonum, honeſtumque, ac ſupernaturale, licet non meritorium vitæ æternæ fatetur, ac prædicat; cum verò addat *attritionem eſſe impulſum Spiritus Sancti*, *non adhuc quidem inhabitantis*, *ſed tantum moventis*; intelligat neceſſe eſt eam ſine charitate Theologica concipi; cumque ipſam attritionem nuncupet *imperfectam contritionem*, ſentit planè eam non eſſe *charitate perfectam*: Quod quidem ex integro textu ſatis conſtat. Falſum igitur eſt quod ais Queſnelle, nullum opus bonum eſſe ſine amore Dei: cum attritio, quæ quidem ſine charitate Theologica, ſeu Dei amore, perfecto ſcilicet, ac Theologico, qualem poſtulas, *qui omnia propter Deum agat*, concipitur; opus morale bonum, honeſtumque ſit: atque ob eam cauſam apertè Tridentinæ Synodo œcumenicæ refragaris, imo verò etiam quatuor Summis Pontificibus, & univerſæ Eccleſiæ manifeſto repugnare non deſinis.

Sanctus enim Pius V., Gregorius XIII., & Urbanus VIII. damnaverunt Propoſitionem illam Bay XXXVIII., quæ ità ſe habet: *Omnis amor creaturæ rationalis*, *aut vitioſa eſt cupiditas qua Mundus diligitur*, *quæ à Joanne probibetur*: *aut laudabilis charitas*, *qua per Spiritum Sanctum in corde diffuſa Deus amatur*. Alexander quoque VIII. Summus Pontifex damnavit Theſim illam VII. à Janſenianis recuſam: *Omnis humana actio deliberata eſt Dei dilectio*, *vel Mundi*: *ſi Dei*; *charitas Patris eſt*: *ſi Mundi*; *concupiſcentia carnis*, *hoc eſt*, *mala eſt*.

Has verò Propoſitiones univerſalis etiam reprobavit Eccleſia: Ergo Queſnellianam hujuſmodi propoſitionem quoque, quæ ex illis fluxit, reijcit, ac perhorreſcit. Meritò itaque Summus Pontifex Clemens XI. utpote acerrimus Eccleſiæ traditionum vindex temetipſum Queſnelle damnat, quippe qui turpiter adeò ab Eccleſiæ doctrina perenni quidem, conteſtataque degeneraveris.

Hinc tu fortaſſe graviſſimis teſtimoniis afflictus, diffidenſque rebus tuis quereris, ac miſerabili voce, Auguſtini, ac Divi Thomæ præſidium, ac miſericordiam fruſtrà implorabis, utpote qui Te vehementer dedignantur, atque faſtidiunt.

Sanctus enim Auguſtinus tract. 9. in epiſt. Joan. inquit: *opus eſt ergo ut intret timor primo, per quem veniat charitas: timor medicamentum, charitas ſanitas &c. Si autem nullus timor, non eſt qua intret charitas; ſicut videmus per ſetam introduci linum, quando aliquid ſuitur, ſeta prius intrat, ſed niſi exeat, non ſuccedit linum: ſic timor primo occupat mentem, non autem ibi remanet timor, quia ideò intravit, ut introduceret charitatem.*

Sanctus Auguſtinus ut bonum, utilem, imo neceſſarium illum timorem laudat, qui non ex charitate Theologica profluit, neque eſt charitati conjunctus, quippe qui abſentem eam præcedat, præſentem deſerat.

Divus tandem Thomas part. 3. quæſt. 85. artic. 6. inquit: *actus quidam laudabiles etiam tempore præcedere poſſunt actum, & habitum pœnitentiæ, ſicut actus fidei, & ſpei informium, & actus timoris ſervilis.*

Sanctus itaque Auguſtinus timorem charitatis expertem ut bonum, & utilem prædicat, & commendat; Divus verò Thomas actum timoris ſervilis, nec non actum fidei, ac ſpei informium, Theologica charitate nempè carentium laudabiles judicat. Vehementer ergo Queſnellus errat, & ab Auguſtino, Divo Thoma, Tridentina Synodo œcumenica, univerſali Eccleſia, & quinque Summis Pontificibus; ut paulò ante memoravimus, condemnatur, quòd nullum opus bonum ſine amore Dei eſſe pronunciaverit.

Oppoſitio Queſnellianorum.

Opponunt nobis Queſnelliani Divum Auguſtinum, qui quidem in Enchiridio cap. 117. ait: *regnat carnalis cupiditas, ubi non eſt charitas*, & Pſalmo 18. *qui noluerit ſervire*

cha-

charitati, neceſſe eſt ut ſerviat iniquitati. Hinc deducunt Bajani, atque Queſnelliani eorum Aſſeclæ malum eſſe, atque peccatum quidquid ex Theologica non profluit charitate.

Reſponſio.

Hæc interpretatio Queſnellianorum, & Bajanorum longè profectò abhorret à ſententia Magni Auguſtini quippè qui, ut ſupra memoratum eſt, timorem ſervilem Theologicæ charitatis expertem laudat, imo verò etiam in Pſalmum 127. ſic loquitur: *Timet, ne mittatur in geennam, bonus eſt, & utilis eſt timor*: & de verbis Apoſtoli ſerm. 13. hortatur Peccatorem Theologica ſanè charitate orbatum; *fac vel timore pœnæ, ſi nondum potes amore Juſtitiæ.*

Jam verò cum Auguſtinus timorem ſervilem Theologica orbatum charitate laudat; ſentire nullo modo poteſt perinde, ut eum Queſnelliani explicant, malum nimirum eſſe quidquid ex Theologica non profluit charitate; quin eodem tempore ſecum apertè, inepteque pugnet.

Longe igitur alia mens eſt Auguſtini, ac rati ſunt Auguſtini doctrinæ corruptores potiùs, quàm calumniatores. Auguſtinus enim charitatis nomen tum ſtricte pro ſola virtute Theologica, qua Deum propter ſe amamus, tum latè pro amore, quo bonum, honeſtumque diligimus, uſurpavit.

Quamobrem cum Auguſtinus dicat voluntatem ſine charitate totam eſſe vitioſam cupiditatem, & regnare carnalem cupiditatem, ubi non eſt charitas; utitur ſane *charitatis* vocabulo pro *amore boni, atque honeſti*; dum ipſemet Sacer Doctor ſæpè numero *boni amorem* nuncupat charitatem. Sic enim libro 8. de Trinitate cap. 10. *quid eſt* (inquit) *dilectio, vel charitas, quam tantopere Scriptura Divina laudat, & prædicat, niſi amor boni?* Et libro 2. contra duas epiſtolas Pelagianorum cap. 9. *quid boni cupiditas, niſi charitas?*

Præterea idem Sacer Doctor ſerm. 52. de tempore cap. 2.

Cha-

Charitatem in varias ſpecies dividit ſic : *Charitas alia eſt divina, alia humana, alia eſt humana licita, alia illicita.*

Idcircò merito quidem, atque optimo jure quinque Summi Pontifices, quos paulo ante memoravi, Auguſtinum tres charitates, ſive amores, divinum nempe, humanum licitum, & humanum illicitum ſtatuentem laudant: Queſnellum verò, Bajumque damnant, quippe qui ſic omnem amorem in duplicem tantum, divinum ſcilicet, & humanum illicitum dividunt, ut tertium amorem licitum, quem Auguſtinus comprobat, audeant repudiare.

PROPOSITIO L.

Fruſtrà clamamus ad Deum, ſi ſpiritus charitatis non eſt ille, qui clamat.

Queſnellus Roman. 8. 15. *edition.* 1693. & 1699.

QUoniam XLIV. Propoſitio nullum alium Dei amorem, ut oſtendimus, quam Theologicum juſtificantem tanquam bonum prædicat; hinc fit ut hæc Theſis etiam pro *charitate* Theologicam ſolum charitatem juſtificantem intelligat neceſſe eſt: atque ob eam cauſam eſt longe abſona menti Concilii œcumenici Tridentini, quod ſeſſione 14. de Pœnitentia canone 5. ità definit: *Si quis dixerit eam contritionem, quæ paratur per diſcuſſionem, collectionem, & deteſtationem peccatorum, qua quis recogitat annos ſuos in amaritudine animæ ſuæ ponderando peccatorum ſuorum gravitatem, multitudinem, fœditatem, amiſſionem æternæ bea-*

beatitudinis, *& æternæ damnationis incurſum cum propoſito melioris vitæ*, *non eſſe verum*, *& utilem dolorem*, *nec præparare ad gratiam*, *ſed facere hominem hypocritam*, *& magis peccatorem*, *demum illam eſſe dolorem coactum*, *& non liberum*, *ac voluntarium*; *anathema ſit*.

Ecce tibi Queſnelle dolor ſine ſpiritu charitatis Theologicæ conceptus; & tamen utilis eſt, idemque ad gratiam præparat, ſi Tridentinæ Synodo credere velis. Ergo non fruſtra clamat ad Deum, ſi quis contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, neque charitate formatur, concipiat.

Rurſus eadem Synodus timorem Ninivitarum ſeſſ. 14. cap. 4. non ad perfectam contritionem, ſed ad ipſammet attritionem, quæ haud ex charitate profluit, refert; & tamen utilem prædicat in eam Sententiam: *Hoc enim timore utiliter concuſſi Ninivitæ ad Jonæ prædicationem plenam terroribus pœnitentiam egerunt*, *& miſericordiam à Domino impetrarunt*.

Certè Ninivitæ, licet non charitatis, ſed timoris clamaret ſpiritus, ut ex hoc Synodi Textu patet; Non fruſtra tamen ad Deum clamarunt, cum à Deo miſericordiam impetraverint, ne Civitas ſubverteretur.

Auctor operis imperfecti in Matthæum Homilia 18. illud Matthæi cap. 7. *omnis qui petit accipit*, ſic explicat: *ſive juſtus*, *ſive peccator ſit*, & ibidem. *Peccatores quidem*, *ac reprobi dicunt*, *nonne in nomine tuo dæmonia ejecimus?*

Sanctus Auguſtinus tractatu 44. in Joannem ad illam cæci ſententiam: *Scimus quia peccatores Deus non exaudit*, reſpondet, *adhuc inunctus loquitur*. *Nam & Peccatores exaudit Deus*. *Si enim peccatores Deus non exaudiret*, *fruſtra ille Publicanus oculos in terram demittens*, *& pectus ſuum percutiens diceret*, *Deus propitius eſto mihi peccatori*.

Beatus Hilarius can. 6. in Matthæum cum verba de ſceleratis faciat, quorum oratio aliquando impetrat miracula, *quaſi*

quaſi verò (ait) *eorum aliquid proprium ſit, & non omnia virtus Dei invocata perficiat.*

Divus tandem Thomas 2. 2. qu. 7. art. 2. ad 2. inquit: *Dicendum quod fides etiam informis excludit quandam impuritatem ſibi oppoſitam, ſcilicet impuritatem erroris, qua contingit ex hoc quod intellectus humanus inordinatè inhæret rebus ſe inferioribus, dum ſcilicet vult ſecundum rationes rerum ſenſibilium mereri divina; ſed quando per charitatem formatur, tunc nullam impuritatem ſecum compatitur.*

Fides igitur etiam charitatis Theologicæ, ac perfectæ expers, ſi Divo Thomæ credis Queſnelle, operatur in Peccatore bonum aliquod morale, atque honeſtum, quippequæ caliginem erroris diſcutiat, & lumen præferat veritatis.

Hæc demum eſt ſumma Concluſionis. Auctor operis imperfecti, imo verò ipſummet Evangelium ab Auctore operis imperfecti allatum clamant, ac prædicant, Peccatores charitatis expertes oratione à Deo non nullas gratias impetrare: ergo non fruſtra illi ad Deum clamant, licet ſpiritus charitatis non ſit ille, qui clamat.

PRO-

PROPOSITIO LI.

Fides juſtificat, quando operatur, ſed ipſa non operatur, niſi per charitatem.

Queſnellus Act. 13. 39. *editione* 1693. *&* 1699.

DUm XLIV. Propoſitio nullum alium Dei amorem, quàm Theologicum juſtificantem aſſignat bonum; ſequitur ut hìc pro *charitate*, Theologica ſolum ſanctificans charitas intelligatur, ideòque Propoſitio iſthæc tua mi Queſnelle vehementer à doctrina, ſententiaque diſcrepat Concilii œcumenici Tridentini, quod ſeſſione 6. cap. 6., cujus hic eſt titulus: *Modus præparationis*, oſtendit nobis quemadmodum fides ad juſtitiam diſponat: *Diſponuntur autem ad ipſam juſtitiam, dum excitati divina gratia, & adjuti, fidem ex auditu concipientes, liberè moventur in Deum, credentes vera eſſe, quæ divinitus revelata, & promiſſa ſunt: atque illud in primis, à Deo juſtificari impium per gratiam ejus, per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Jeſu; & dum peccatores ſe eſſe intelligentes, à Divinæ Juſtitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad conſiderandam Dei miſericordiam ſe convertendo, in ſpem eriguntur, fidentes Deum ſibi propter Chriſtum propitium fore, illumque tanquam omnis juſtitiæ fontem diligere incipiunt.*

Videſne Queſnelle? intelligis ne quot actus ſine charitate Theologica, & ante charitatem fidem præſtare, ac operari Tridentina Synodus aſſerit? Tu verò ſentis profectò fidem ſine charitate, vel nihil quicquam, vel malum operari. Vel enim putas amiſſa per peccatum gratia juſtificante, ſeu charitate, ſimul & fidem ſemper amitti, ac proindè nihil operari; & ſic Te Synodus Tridentina ſeſſ. 6. canone 28. damnat in eam ſententiam: *Si quis dixerit amiſſa per peccatum gratia, ſimul & fidem ſemper amitti, anathema ſit.*

Vel

Vel ſi fidem ſine juſtificante gratia, ſeu charitate remaneꝛe ais; putes neceſſe eſt eandem nihil aliud, niſi malum operari; cum in Theſi XLIV. malum eſſe, quidquid non ex charitate ad Deum omnia referente manat, pronunciaveris. Hinc ſequitur illicò ut ſentias fidem ſine charitate nil aliud operari, quàm malum, atque ob eam cauſam nullo modo efficere opera illa moralia, ſupernaturalia bona, & utilia, quibus fidem ſine charitate, & ante charitatem paulò ante Synodus dixit ad juſtificationem diſponere. Quamobrem Tridentinæ Synodo apertè refragaris; cumque (ut oſtenſum eſt) dicere cogaris fidem ſine charitate nil aliud operari, quàm malum, atque peccatum; ideòque attritionem ipſam, quæ cum fide ſine charitate à peccatore concipitur, eſſe peccatum; in tuum profectò caput recidit anathema illud Tridentinæ Synodi œcumenicæ. *Si quis dixerit geennæ metum per quem ad miſericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel à peccando abſtinemus, peccatum eſſe, aut peccatores (a) pejores facere, anathema ſit.*

Rurſus eadem Synodus ſeſſione 14. canone 5. ità definit: *Si quis dixerit eam contritionem, quę paratur per diſcuſſionem, collectionem, & deteſtationem peccatorum, qua quis recogitat annos ſuos in amaritudine animæ ſuæ, ponderando peccatorum ſuorum gravitatem, multitudinem, fæditatem, amiſſionem æternæ beatitudinis, & æternæ damnationis incurſum, cum propoſito melioris vitæ, non eſſe verum, & utilem dolorem, nec præparare ad gratiam, ſed facere hominem hypocritam, & magis peccatorem; demum illam eſſe dolorem coactum, & non liberum, ac voluntarium, anathema ſit.*

Hæc ſanè omnia, quę proponit, ac recenſet Synodus, peccator præſtat ſine charitate, ut patet; cum hoc loco Synodus de attritione, quæ ſine charitate concipitur, verba faciat: nequit autem ea præſtare ſine fide; quæ licet non ſit charitate perfecta; ſic tamen ſuopte ſupernaturali lumine ope-

(a) *Seſſ. 6. can. 8.*

operatur, ut peccatori amiſſionem æternæ beatitudinis, & incurſum æternæ damnationis, modumque, quo æternæ pœnæ vitantur, ac ſempiterna comparatur fęlicitas, repræſentet, eundemque ad opportuna quærenda remedia vehementer excitet, atque inflammet.

Accedit huc etiam Divi Thomæ, & Magni Auguſtini ſententia. Sanctus enim Thomas Doctor Angelicus parte 3. quæſt. 85. artic. 5. dum quærit *utrum principium pœnitentiæ ſit ex timore*, recenſet ordinem motuum, & operationum à pœnitentia profluentium, & pronunciat: *Quorum actuum primum principium eſt Dei operatio convertentis cor ſecundum illud Thren. ultim. converte nos Domine ad Te, & convertemur. Secundus actus eſt motus fidei. Tertius eſt motus timoris ſervilis, quo quis timore ſuppliciorum à peccatis retrahitur. Quartus actus eſt motus ſpei, quo quis ſub ſpe veniæ conſequendæ aſſumit propoſitum emendandi. Quintus actus eſt motus charitatis, quo alicui peccatum diſplicet ſecundum ſe ipſum, & non jam propter ſupplicia.*

Ecce tibi Queſnelle quam plures actus ante charitatem, ideòque ſine charitate, à fide vera divina, ac ſupernaturali promanant; cum ſervilis timor, & ſpes ex ipſamet ſupernaturali fide oriantur; alioquin non eſſent ad charitatem, ac pœnitentiam juſtificantem idoneæ diſpoſitiones, quæ quidem ſunt opera moralia ſupernaturalia, & non peccata.

S. Auguſtinus lib. 1. contra adverſarium legis, & Prophetarum capite 17. ait: *In novo Teſtamento fides impetrat charitatem*; ſi fides impetrat charitatem; certè operatur: ſi charitatem impetrat; impetrat ſanè charitatem, qua indiget. Nemo enim impetrat id, quo jam fruitur. Ergo fides operatur etiam ſine charitate tunc, quando impetrat charitatem. Erras ergo mi Queſnelle quòd aſſeras fidem non operari, niſi per charitatem. Ergo tota via quoque aberras, quòd ſentias fidem ſine charitate quidquid patraverit, malum eſſe, atque hypocriſim.

Præ-

Præterea ipſemet Auguſtinus in expoſitione capitis 3. Epiſtolæ ad Galatas ait: *Filii fiunt participatione ſapientiæ, id præparante, atque præſtante mediatoris fide.* Fides igitur eſt præparatio ad juſtificationem, per quam efficimur Filii Dei. Fides præparat ad juſtificationem, ſi credis Auguſtino. Ergo tunc operatur, cum præparat: ergo quando præparat ad juſtificationem, ſeu charitatem, quæ idem eſt, quod juſtificatio, tunc non eſt una cum juſtificatione, ſeù charitate. Ergo tunc operatur ſine charitate; falleris iterum baſilicè, mi Queſnelle quod aſſeras fidem non operari, niſi per charitatem, cum & per charitatem, & ſine charitate operetur.

Fides itaque præparat ſine charitate ad ipſam juſtificationem, & tamen e Sententia tua Queſnelle ſequitur hanc fidei præparationem malam eſſe, atque hypocriſim, cum Propoſitione XLIV. & XLVII. malum eſſe atque hypocriſim ſtatuas quidquid non ex Theologica profluit charitate.

Jam verò cum abundè ſatis firmiſſimis, clariſſimiſque Teſtimoniis Tridentinæ Synodi, Auguſtini, ac Divi Thomæ, imo verò etiam vel iiſdem verbis tuis, atque ſententiis tè convicerim; reliquum eſt ut oſtendam tibi fidem ita certe juſtificare, quemadmodum intelligit, atque explicat Synodus Tridentina ſeſſion. 6. cap. 8. in eam Sententiam: *Cum verò Apoſtolus dicit juſtificari hominem per fidem, & gratis: ea verba in eo ſenſu intelligenda ſunt, quem perpetuus Eccleſiæ Catholicæ conſenſus tenuit, & expreſſit; ut ſcilicet per fidem ideò juſtificari dicamur, quia fides eſt humanæ ſalutis initium, fundamentum, & radix omnis juſtificationis, ſine qua impoſſibile eſt placere Deo, & ad filiorum ejus conſortium pervenire: Gratis autem juſtificari ideò dicimur, quia nihil eorum, quæ juſtificationem præcedunt, ſive fides, ſive opera, ipſam juſtificationis gratiam promeretur. Si enim gratia eſt, jam non ex operibus: alioquin, ut idem Apoſtolus inquit, gratia jam non eſt gratia.*

Audis ne Queſnelle fidem ideò juſtificare, quia fides eſt humanæ ſalutis initium, fundamentum, & radix omnis juſtifica-

cationis? Sanctus Hieronymus ita: (*a*) *fiducia, atque acceſſus ad Deum principium, atque origo fides in Chriſto eſt*: S. Clemens Alexandrinus, ut omitam reliquos, ait: *fides eſt prima ad ſalutem inclinatio, poſtea timor, & ſpes, & pœnitentia.*

Fides igitur juſtificat diſpoſitivè, ſeu diſponit, ac præparat ad juſtificationem, ut univerſa Eccleſia cum Tridentina Synodo ſentit: Cauſa demum formalis juſtificationis non eſt fides, ſed eſt ea, quam ſic nobis credendam proponit eadem Tridentina Synodus ſeſſ. 6. cap. 7. *Unica formalis cauſa eſt Juſtitia Dei; non qua ipſe juſtus eſt, ſed qua nos juſtos facit; qua videlicet ab eo donati renovamur ſpiritu mentis noſtræ, & non modò reputamur, ſed vere juſti nominamur, & ſumus, juſtitiam in nobis recipientes unuſquiſque ſuam ſecundum menſuram, quam Spiritus Sanctus partitur ſingulis prout vult, & ſecundum propriam, cujuſque diſpoſitionem, & cooperationem.*

Oppoſitio cujuſdam Anonymi Queſnelliani.

Ait Queſnellianus Anonymus Queſnellum iſtam ſuam Theſim hauſiſſe, & expreſſiſſe à Beati Pauli epiſt. ad Galatas cap. 5. *Fides, quæ per dilectionem operatur.* En deindè Queſnelliani Epiphonema: *Quid eſt aliud damnare Paulum, ſi hoc non eſt?*

Reſponſio.

Quemadmodum Tridentina Synodus œcumenica ſeſſ. 6. can. 9. meritò Calvinum, atque Lutherum damnavit quòd verbis Pauli, *Fides juſtificat*, voculam, *ſola* de ſuo addiderint, ac ſententiam tanti Doctoris corruperint, dicentes fidem ſolam juſtificare: ità ſane optimo Jure Queſnellum tuum Queſnelliane Anonyme Summus Sapientiſſimus, idemque Optimus Pontifex Clemens XI. damnavit, ac reſpuit, quòd verbis Apoſtoli, *Fides, quæ per dilectionem operatur, particulam NON NISI* affingere auſus eſt, dicendo *fidem nonniſi per charitatem operari.* Quamobrem & in Cœlis B. Paulus, & in Terris Clemens XI. Queſnellum Pauli verborum, ac ſententiæ manifeſtum corruptorem, Teque corruptoris Advocatum jam diris juſtiſſimis devoverunt. M PRO-

(a) *Ad cap. 3. epiſt. ad Epheſ.*

PROPOSITIO LII.

Omnia alia ſalutis media continentur in fide tanquam in ſuo germine, & ſemine; ſed hæc fides non eſt abſque amore, & fiducia.

Queſnellus Act. 10. 43. *edition.* 1693. & 1699.

PIget me toties eandem crambem recoquere; & tamen amore veritatis eſt recoquenda. Quamobrem dum XLIV. Theſis nullum alium Dei amorem, quàm Theologicum juſtificantem concedit bonum: ſatis conſtat pro *amore* hìc, Theologicum amorem ſanctificantem eſſe accipiendum. Jam verò hæc propoſitio ex omni parte Tridentino generali Concilio refragatur, ac primum omnium errat quòd aſſerat omnia ſalutis media contineri in fide tanquam in ſuo germine, & ſemine: Secundo, quod affirmet fidem à charitate minime ſeparari; tertio demum quod doceat fidem non eſſe ſine fiducia. Quod ad primum igitur errorem attinet, falſum manifeſtò eſt omnia ſalutis media in fide contineri; quia vocatio ad fidem, *quæ eſt Spiritus Sancti inſpiratio*, eſt quidem medium ad ſalutem; nec tamen continetur in fide, quippe quæ prævenit fidem, uti definit Tridentina Synodus generalis in eam Sententiam: *Si quis dixerit ſine* (*a*) *præveniente Spiritus Sancti inſpiratione, atque ejus adjutorio hominem credere, ſperare, diligere, aut pœnitere poſſe, ſicut oportet, ut ei juſtificationis gratia conferatur, anathema ſit.*

E Sententia itaque Tridentinæ generalis Synodi Spiritus Sancti inſpiratio non ſolum eſt medium neceſſarium ad ſalutem, cum ſine hujuſmodi inſpiratione juxtà Tridentinam Synodum *homo credere, ſicut oportet, non poſſit*; verum etiam *ipſam*

(a) *Seſſ. 6. can. 3.*

ipſam fidem prævenit. Ergo iſtud medium ad ſalutem neceſſarium, quod eſt Spiritus Sancti inſpiratio, non continetur in fide. Falſum igitur eſt quod Queſnelle aſſeris omnia media ad ſalutem neceſſaria contineri in fide, manifeſtoque cum Tridentina Synodo pugnare pergis.

Præterea ipſamet Synodus Tridentina ſeſſ. *6.* can. *19.* definit: *Si quis dixerit nihil præceptum eſſe in Evangelio præter fidem, cætera eſſe indifferentia, neque præcepta, neque prohibita, ſed libera, aut decem Præcepta nihil pertinere ad Chriſtianos; anathema ſit.*

Et Canone 20. ibidem ſic: *Si quis hominem juſtificatum quantumlibet perfectum dixerit non teneri ad obſervantiam Mandatorum Dei, & Eccleſiæ, ſed tantum ad credendum; quaſi verò Evangelium ſit nuda, & abſoluta promiſſio vitæ æternæ, ſine conditione obſervationis Mandatorum; anathema ſit.*

Synodus Tridentina in his Canonibus palam prædicat, ac profitetur præter fidem, eſſe divina quoque præcepta, quæ ſunt ad ſalutem media neceſſaria, qualia ſunt illa Decalogi, quæ hìc Synodus memorat, quæ nec Fides ſunt juxta Synodum Tridentinam, nec in Fide comprehenduntur. Falleris ergo Queſnelle quod aſſeris omnia media ad ſalutem neceſſaria in Fide contineri, ac Tridentino Concilio refragaris.

Quod verò ad ſecundum errorem pertinet, ſatis conſtat fidem poſſe ſine charitate conſiſtere, ac re ipſa crebro conſiſtere: quam quidem veritatem Tridentina Synodus œcumenica definivit in eam ſententiam: *Si quis dixerit amiſſa* (*a*) *per peccatum gratia, ſimul & fidem ſemper amitti, aut fidem quæ remanet, non eſſe veram fidem, licet non ſit viva, aut eum qui fidem ſine charitate habet, non eſſe Chriſtianum; anathema ſit.*

Quod demum ad tertium Queſnelli errorem ſpectat, Synodus Tridentina generalis ſeſſ. *6.* cap. 7. de induſtria ità definit: *Fides niſi ad eam ſpes accedat, & charitas, neque* (*b*)

M 2 *unit*

(a) *Seſſ. 6. can. 28.* (b) *Seſſ. 6. cap. 7. de juſtificatione.*

unit perfectè cum Chriſto, neque corporis ejus vivum membrum efficit.

Cum itaque Synodus affirmet fidem, niſi ad eam ſpes accedat, & charitas, non unire perfectè cum Chriſto; ſupponit planè fidem poſſe conſiſtere, & aliquando re vera conſiſtere ſine ſpe, ideoque etiam ſine fiducia, quæ nihil aliud eſt, niſi ſpes corroborata: atque ob eam cauſam cum Concilio Tridentino Queſnelle pugnas, quippè qui fidem à fiducia ſeparare neſcias.

E ſententia demum tua *Fides non eſt abſque amore*. Sed juxta te quoque non ſolum magnis Catholicis Peccatoribus, ſed cuicumque etiam qui gravi labe animum maculaverit, amor deeſt. Ergo ſentis illis fidem quoque deeſſe.

Jamque Propoſitio iſthæc tua conſonat XII. Propoſitioni illi: *Quando in magnis Peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides, & etiamſi videantur credere, non eſt Fides Divina, ſed humana*. Quam quidem propoſitionem cum Alexander VIII. Summus Pontifex, & univerſalis Eccleſia condemnaverint, tuam quoque huic non abſonam, ſed ſynonimam reprobent, ac deteſtentur neceſſe eſt.

PRO.

PROPOSITIO LIII.

Sola Charitas Chriſtiano modo facit actiones Chriſtianas per relationem ad Deum, & Jeſum Chriſtum.

Queſnellus Coloſ. 3. 14. *editione* 1693. & 1699.

CUm in XLIV. Propoſitione Queſnellus nullum alium Dei amorem, quàm Theologicum juſtificantem aſſignet bonum; ſequitur ut hìc pro *charitate* Theologicam juſtificantem ſolum charitatem intelligat. Hæc autem propoſitio pugnat apertè cum Tridentino generali Concilio, quod ſeſſ. 6. can. 28. definit in eam ſententiam: *Si quis dixerit amiſſa per peccatum gratia, ſimul & fidem ſemper amitti, aut fidem, quæ remanet, non eſſe veram fidem, licet non ſit viva, aut eum qui fidem ſine charitate habet, non eſſe Chriſtianum; anathema ſit.*

E. ſententia Tridentinæ Synodi generalis, fides, etiamſi charitas deſit, eum, cui ineſt, Chriſtianum facit: ſequitur igitur ex ejuſdem Concilii ſententia, actus etiam fidei, licet non adſit charitas, eſſe tamen actiones Chriſtianas, ac tales, ut per eas Chriſtianus à non Chriſtiano quibuſdam veluti notis, & characteribus diſtinguatur. Præterea per fidem juxta Paulum 2. ad Corinth. *in captivitatem Chriſtianus redigit omnem intellectum in obſequium Chriſti.*

Hanc verò intellectus captivitatem in obſequium Chriſti quis unquam negare auſit eſſe actionem Chriſtianam, licet à charitate non profluat?

Falſum igitur eſt quod Queſnelle ais à ſola charitate actiones Chriſtianas fieri, cum fides quoque etiam ſine charitate actiones faciat Chriſtianas, ut Tridentina fatetur Synodus, cui in hac Propoſitione tua manifeſtiſſimè contradicis.

S. demum Pius V., Gregorius XIII., & Urbanus VIII. damnaverunt hanc Bay Theſim XXII. *cum Pelagio ſentiunt*, *qui textum illum* Apoſtoli ad Rom. 2. *Gentes*, *quæ legem non habent*, *naturaliter ea*, *quæ legis ſunt*, *faciunt*, *intelligunt de gentibus fidei gratiam non habentibus*. Eandemque Theſim univerſa Eccleſia reprobavit. Univerſalis itaque Eccleſia, & B. Paulus laudant non nulla gentium opera, quæ licet fidei, ideòque charitatis etiam gratia denudatæ forent; naturaliter tamen ea, quæ legis ſunt, faciebant. Iſthæc ergo gentium opera licet à fide, charitateque minimè promanarent; bona tamen, atque honeſta, ſine controverſia, velis, nolis Queſnelle, habenda ſunt, utpote quæ tum à Beato Paulo, tum ab univerſa Eccleſia laudantur.

Sanctus Auguſtinus tractat. 9. in 1. Epiſtolam Joannis explicans illa verba: *initium ſapientiæ timor Domini*; ità ſuam declarat ſententiam: *Timor quaſi locum præparat charitati &c. ſi autem nullus timor*, *non eſt qua intret charitas*.

Cum autem actio illa, qua timor charitati locum præparat, non ſolum Chriſtiana ſit, ſed Chriſtiano etiam modo fiat, & charitatem præcedat; ſatis profectò conſtat non ſolam charitatem Chriſtianas actiones Chriſtiano modo præſtare.

Divus Thomas refellit Queſnellum, dum in cap. 1. Epiſtolæ ad Titum lectione 4. ad illa verba Apoſtoli: *Coinquinatis autem*, *& infidelibus nihil eſt Mundum*, inquit: *Quando ergo peccator facit aliquod bonum*, *ſecundum quod eſt peccator*, *& infidelis*, *totum eſt peccatum ex radice*. *Sed ſi quid facit ex principio alicujus boni*, *quod habet*, *ut fidei informis*, *vel naturæ*, *non eſt immundum*. Si opus eſt ex principio fidei informis, ideſt charitate orbatæ, certè opus Chriſtianum eſt; ſi non eſt immundum, non ſolum Chriſtianum eſt, ſed etiam Chriſtiano modo efficitur.

PRO-

PROPOSITIO LIV.

Sola charitas eſt quæ Deo loquitur: eam ſolam Deus audit.

Queſnellus 1. *Cor.* 13. 1. *editione* 1693. & 1699.

QUoniam in XLIV. Theſi Queſnellus nullum alium Dei amorem, quàm Theologicum juſtificantem concedit bonum: hìc quoque pro *charitate* Theologicam ſanctificantem duntaxat charitatem intelligat neceſſe eſt. Primum verò omnium ſatis conſtat propoſitionem hanc manifeſtò divinæ refragari Scripturæ, quæ Danielis ore Regem impium cohortatur in eam ſententiam: *peccata tua eleemoſynis* (*a*) *redime*, & *iniquitates tuas miſericordiis pauperum*.

Quonam pacto prodeſſe iſti poterat eleemoſyna, & miſericordia, vel ad pœnas temporales avertendas, vel etiam ad impetrandam à Deo converſionis gratiam, ſi è Queſnelli ſententia ſolam Deus exaudiat charitatem?

Repugnat præterea hujuſmodi propoſitio generali Synodo Tridentinæ, quæ modum præparationis ad gratiam tradit in eam ſententiam. *Diſponuntur autem* (*b*) *ad ipſam juſtitiam, dum excitati divina gratia*, & *adjuti, fidem ex auditu concipientes, liberè moventur in Deum, credentes vera eſſe, quæ divinitus revelata*, & *promiſſa ſunt: atque illud in primis à Deo juſtificari impium per gratiam ejus, per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Jeſu*: & *dum peccatores ſe eſſe intelligentes, à Divinæ Juſtitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad conſiderandam Dei miſericordiam ſe convertendo in ſpem eriguntur, fidentes Deum ſibi propter Chriſtum propitium fore, illumque tanquam omnis juſtitiæ fontem diligere incipiunt*.

(a) *Cap.* 4. *Danielis*. (b) *Seſſion.* 6. *de juſtificat. cap.* 6.

Ecce tibi Queſnelle quibus gradibus peccator charitatis expers initium dilectionis aſcendit: Improbare autem gradus iſtos fidei, ſpei, timoris tanquam inutiles, quid eſt aliud repugnare Synodo Tridentinæ, ſi hoc non eſt?

Alexander VIII. Summus Pontifex damnavit Propoſitionem XV., quæ ità ſe habet: *attritio quæ geennæ metu concipitur ſine dilectione benevolentiæ Dei propter ſe, non eſt bonus motus, ac ſupernaturalis*. Hanc verò univerſa quoque Eccleſia condemnavit. Univerſalis ergo Eccleſia contra Queſnellum ſentit attritionem ſine charitate conceptam eſſe bonum motum, ac ſupernaturalem, ideoque Deo loqui, & à Deo exaudiri.

Sanctus denique Thomas 2. 2. quæſt. 83. artic. 16. examinans *utrum peccatores orando impetrent aliquid à Deo*; poſtquam nonnulla ſibi objeciſſet, decidit quæſtionem reſpondendo: *ſed contra eſt quod Auguſtinus dicit ſuper Joannem. Si peccatores non exaudiret Deus, fruſtra Publicanus dixiſſet: Domine propitius eſto mihi peccatori, & Chryſoſtomus dicit ſuper Matth. omnis qui petit, accipit, ideſt, ſive juſtus ſit, ſive peccator*.

PRO-

PROPOSITIO LV.

Deus non coronat, niſi charitatem: qui currit ex alio impulſu, & ex alio motivo, in vanum currit.

Queſnellus 1. *Corinth.* 9. 24. *edit.* 1693. *&* 1699.

PROPOSITIO LVI.

Deus non remunerat, niſi charitatem: quoniam charitas ſola Deum honorat.

Queſnellus Matthæi 25. 36. *editione* 1693. *&* 1699.

CUm Queſnellus in XLIV. Theſi nullum alium Dei amorem, quàm Theologicum juſtificantem prædicet bonum (ut evincimus) in hiſce quoque propoſitionibus pro *charitate*, Theologicam ſolum charitatem juſtificantem oportet intelligat. Theſes verò hujuſmodi primum omnium repugnant primæ, ac æternæ veritati Chriſto, qui in die Judicii ſic invitabit electos ad gloriam: *Venite Benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis Regnum à conſtitutione Mundi, eſurivi enim, & dediſtis mihi manducare; ſitivi* (*a*) *& dediſtis mihi bibere; hoſpes eram, & collegiſtis me; nudus eram, & cooperuiſtis me; infirmus, & viſitaſtis me; in carcere eram, & veniſtis ad me*. Tu Queſnelle non coronas niſi charitatem, at Chriſtus Dominus non charitatem modo, ſed opera bona

(a) *Matth.* 25.

na etiam miſericordiæ æterno præmio remuneratur, atque coronat.

Refragaris inſuper mi Queſnelle Tridentinæ Synodo generali, quæ ſic declarat. *Benè operantibus uſque in finem, & in Deo ſperantibus proponenda eſt vita æterna, & tanquam gratia filiis Dei per Chriſtum Jeſum miſericorditer promiſſa, & tanquam* (*a*) *merces ex ipſius Dei promiſſione bonis ipſorum operibus, & meritis fideliter reddenda.*

Rurſus eadem Synodus canone 26. definit: *Si quis dixerit juſtos non debere pro bonis operibus, quæ in Deo fuerunt facta, expectare, & ſperare æternam retributionem à Deo per ejus miſericordiam, & Jeſu Chriſti meritum, ſi benè agendo & Divina mandata cuſtodiendo uſque in finem perſeveraverint; anathema ſit.*

Sancta Synodus ſentit contra Queſnellum non ſolam charitatem, ſed etiam alia bona opera, ſalutaria, & merita juſtorum à Domino coronari.

Huc accedit ut Queſnellus vehementer (quod ad ſecundam etiam propoſitionis partem ſpectat) labatur, dum aſſerit eum, qui currit ex alio impulſu, & ex alio motivo, in vanum currere. Nam David Pſalmo 118. ait; *Inclinavi cor meum ad faciendas juſtificationes tuas in æternum propter retributionem*; nec tamen in vanum cucurrit. De Moyſe verò ità teſtatur Apoſtolus epiſtol. ad Hebræos cap. 11. *Moyſes grandis factus negavit ſe eſſe filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere jucunditatem, majores divitias æſtimans Theſauro Ægyptiorum improperium Chriſti: aſpiciebat enim in remunerationem.* Tridentina Synodus generalis ſeſſ. 6. canone 31. *ſi quis dixerit juſtificatum peccare, dum intuitu æternæ mercedis benè operatur, anathema ſit.* Ergo e ſententia Sacræ Scripturæ, ac Synodi Tridentinæ non in vanum currit, qui non ſolum ex impulſu, ac motivo charitatis, ſed etiam ex alio motivo mercedis ſcilicet æternæ, currit. Re-

(a) *Seſſ. 6. cap. 15.*

Repræſentat Sanctus Auguſtinus Pſalmo 93. Deum proponentem, & hominem reſpondentem, Deum vendentem Regnum Cœlorum, & hominem ementem, cum exhibeat Deum ità homini dicentem: *Noli eſſe piger in labore breviter, & gaudebis inceſſabiliter; æternam vitam tibi daturus eſt Deus, cogita quanto labore emenda ſit; intendite fratres, venale eſt. Venale eſt, quod habeo, dicit tibi Deus; Eme illud, quid habet venale? requiem venalem habeo; eme illam; de labore intendite, ut ſimus in nomine Chriſti fortes Chriſtiani.*

Nequaquam ergo ſola charitas mercedem accipit, nec ſolam charitatem juxta Queſnellum, ſed etiam cætera opera ſalutaria juxta Auguſtinum Deus coronat.

Sanctus demum Thomas in Commentario ad illud Pauli 1. Corinth. cap. 9. Lection. 5. *& illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant; nos autem incorruptam;* ſuam ità auream ſententiam aperit. *Illi quidem abſtinent, ut corruptibilem coronam accipiant, quod modicum eſt; nos autem abſtinere debemus, ut accipiamus incorruptam, ſcilicet coronam vitæ de qua Jacob. 1. Beatus vir qui ſuffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit &c.* Falleris ergo Queſnelle, ac manifeſtò Auguſtino, ac Divo Thomæ repugnas quòd ſentias eum qui currit ex alio impulſu, ac motivo diſtincto à charitatis motivo, in vanum currere.

PROPOSITIO LVII.

Totum deeſt peccatori, quando ei deeſt ſpes, & non eſt ſpes in Deo, ubi non eſt amor Dei.

Queſnellus Matth. 2. 7. 5. edition. 1693. & 1699.

DUm XLIV. Propoſitio nullum alium Dei amorem, quàm Theologicum juſtificantem aſſignat bonum; ſequitur ut hoc loco etiam pro *amore Dei* Theologicum amorem ſanctificantem intelligas Queſnelle neceſſe eſt. Vehementer itaque erras quòd generatim aſſeveras totum deeſſe peccatori, quando illi ſpes deeſt; cum poſſit eidem ipſi ſine ſpe fides ineſſe, uti declarat generalis Synodus Tridentina in eam ſententiam: *In ipſa juſtificatione cum remiſſione peccatorum, hac omnia ſimul infuſa accipit homo per Jeſum* (a) *Chriſtum cui inſeritur, fidem, ſpem, & charitatem. Nam fides, niſi ad eam ſpes accedat, & charitas, neque unit perfectè cum Chriſto, neque corporis ejus vivum membrum efficit.* Supponit igitur Synodus fidem ſine ſpe, & charitate non ſolum poſſe, ſed re ipſa etiam aliquando conſiſtere; cum prædicet *fidem, niſi ad eam ſpes accedat, & charitas, non unire perfectè cum Chriſto.*

Manifeſtò itaque Tridentinæ generali Synodo refragaris quòd ſentias totum deeſſe peccatori, quando ei ſpes deeſt; cum e ſententia Tridentinæ Synodi peccatori queat ſine ſpe fides ineſſe.

Eadem inſuper Synodus ſeſſ. 14. cap. 4. ſic ſtatuit: *Illam verò contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpidinis peccati conſideratione, vel ex geennæ, & pœnarum metu communiter concipitur, ſi voluntatem peccandi exclu-*

dat

(a) *Seſſ. 6. de juſtificat. cap. 7.*

dat cum ſpe veniæ, *declarat* (Synodus) *non ſolum non facere hominem hypocritam*, *& magis peccatorem*, *verum etiam donum Dei eſſe*, *& Spiritus Sancti impulſum non adhuc quidem inhabitantis*, *ſed tantum moventis*, *quo pœnitens adjutus viam ſibi ad juſtitiam parat*; *& quamvis ſine Sacramento Pœnitentiæ per ſe ad juſtificationem perducere peccatorem nequeat*; *tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandum diſponit*.

Hoc ſanè loco dum affirmat Concilium à peccatore concipi attritionem cum ſpe veniæ; eidem ipſi peccatori ſpem adeſſe, & affulgere ſentit: dum verò prædicat attritionem hujuſmodi eſſe donum Dei, & Spiritus Sancti impulſum non adhuc quidem inhabitantis, ſed tantùm moventis; intelligit profectò attritionem iſtam nequaquam eſſe charitate perfectam; alioquin diceret eam eſſe impulſum Spiritus Sancti inhabitantis, cum, ubi charitas ineſt, ibi Spiritus Sanctus inhabitet.

Sentit ergo hoc loco Synodus ſpem ſine charitate conſiſtere, atque ob eam cauſam falſum omninò eſt, ac Tridentinæ Synodo abſonum quod Tu Queſnelle affirmare pergis *nòn eſſe ſpem in Deo*, *ubi non eſt amor Dei*.

Quam præclarè Divus Thomas explicet, atque oſtendat veritatem hanc nemo eſt quin intelligat: cum Sacer Doctor 2. 2. quæſt. 17. artic. 7. ſic ſcribat: *Reſpondeo dicendum*, *quòd fides abſolutè præcedit ſpem*; *objectum enim ſpei eſt bonum futurum*, *arduum*, *poſſibile haberi*. *Ad hoc ergo quod aliquis ſperet*, *requiritur*, *quod objectum ſpei proponatur ei*, *ut poſſibile*. *Objectum autem ſpei eſt uno modo Beatitudo æterna*, *& alio modo divinum auxilium*, *ut ex dictis patet*; *& utrumque eorum proponitur nobis per fidem*, *per quam nobis innoteſcit*, *quod ad vitam æternam poſſumus pervenire*, *& quod ad hoc paratum eſt nobis divinum auxilium*, *ſecundum iſtud Heb.* 11. *accedentem ad Deum oportet credere*, *quia eſt*, *& quia inquirentibus ſe*, *remunerator eſt*. *Unde manifeſtum eſt quòd fides præcedit ſpem*.

Hinc patet fidem ſine ſpe poſſe conſiſtere.

PRO-

PROPOSITIO LVIII.

Nec Deus eſt, nec Religio, ubi non eſt charitas.

Queſnellus 1. *Joan.* 4. 8. *editione* 1693. & 1699.

CUm Queſnelle in XLIV. Theſi nullum alium Dei amorem agnoſcis bonum, niſi Theologicum ſanctificantem; ſequitur ut hìc etiam pro *charitate*, ſanctificantem ſolum Theologicam charitatem intelligas. Pervelim autem videas quanta Tecum liberalitate agam, quippequi, cum nomen iſtud, *RELIGIO*, tum fidem, tum pietatem ſignificet, optionem tibi deferam eligendi utrumlibet. Si enim pro *RELIGIONE* hoc loco fidem intelligas; in tuum profecto caput recidit anathema Tridentinæ Synodi generalis, quæ fidem ſine charitate poſſe conſiſtere, ac re ipſa peccatori Catholico fidem ſine charitate ineſſe definit in eam ſententiam: *Si quis dixerit amiſſa per peccatum gratia, ſimul & fidem ſemper amitti; aut fidem, quæ remanet, non eſſe veram fidem, licet non ſit* (a) *viva, aut eum, qui fidem ſine charitate habet, non eſſe Chriſtianum; anathema ſit.*

Sin autem pro *RELIGIONE*, pietatem hìc ſignificare velis; ſentias neceſſe eſt peccatorem charitatis expertem, quidquid egerit, peccare mortaliter, & quidquid ante juſtificationem, ſeu charitatem, & gratiam ſanctificantem patraverit, eſſe peccatum; cum LVIII. hujus Propoſitionis imaginem clarius, imo verò ad vivum exprimat XLV. Theſis, cujus hæc eſt ſententia: *Amore Dei in corde peccatorum non amplius regnante neceſſe eſt, ut in eo carnalis regnet cupiditas, omneſque actiones ejus corrumpat.*

Quocirca manifeſtò cum duobus œcumenicis Conciliis Con-

(a) *Seſſ.* 6. *can.* 28.

Conſtantienſi, ac Tridentino Queſnellus pugnat. Tridentina enim Synodus ità definivit: *Si quis dixerit opera omnia, quæ ante juſtificationem fiunt, quacumque ratione facta (a) ſint, verè eſſe peccata, vel odium Dei mereri; aut quanto vehementius quis nititur ſe diſponere ad gratiam, tanto eum gravius peccare; anathema ſit.*

Conſtantienſis autem Synodus damnavit eam Joannis VVicleffi Theſim: *Quidquid homo in mortali peccato (b) fecerit, peccat mortaliter.*

Repugnas denique mi Queſnelle Doctori Angelico Hieronymo, & Auguſtino, quos idem citat: *Non eſt* (inquit) *conſilium, niſi de bono, ſed infidelibus conſulitur (c) ut aliqua de genere bonorum faciant. Ergo illorum actus non omnes ſunt mali. Præterea nihil laudabile eſt, vel laudatur, niſi bonum: Sed Sancti ut Hieronymus, & Auguſtinus, ſepè laudant aliquos Gentiles de aliquibus operibus. Ergo aliqua opera ipſorum fuerunt bona.*

Quodſi e Sententia trium præclariſſimorum Eccleſiæ Doctorum, Divi Thomæ, Hieronymi, & Auguſtini, vel ipſimet infideles ſine charitate potuerunt opera bona, honeſta, moralia, & pia præſtare; multo magis Peccator Catholicus opera pia poteſt efficere; cum fidem divinam, ac ſupernaturalem habeat, licet charitatis expers, qua excitatus poteſt plures actus pietatis elicere, præſertim in auditione Sacri, ad quam ab Eccleſia diebus Feſtis obligatur, ubi cultus latriæ Deo Optimo Maximo etiam à peccatore charitatis experti exhibetur: qui quidem latriæ cultus inter præcipuos Religionis, ac pietatis actus recenſendus eſt.

PRO-

(a) *Seſſ. 6. can. 8.* (b) *Seſſ. 15.* (c) *Lib. 2. Sententiar. diſtinct. 41. art. 2.*

PROPOSITIO LIX.

Oratio impiorum eſt novum peccatum, & quod Deus illis concedit, eſt novum in eos judicium.

Queſnellus Joan. 10 25. *editione* 1693.

QUamquam juxta Divum Thomam quædam oratio impii novum peccatum ſit: *puta, ſi petat* (a) *complementum alicujus peccati*; atque id ipſum confirmet Auguſtinus ſerm. 16. *ſi oras* (inquit) *mala inimicis tuis, oratio tua fiet in peccatum*.

Benigna tamen iſthæc interpretatio nullo modo poteſt huic propoſitioni Queſnellianæ congruere; cum ipſemet Queſnellus illi omne iſtiuſmodi perfugium intercluſerit, quippe qui omnia ſine charitate patrata opera peccata eſſe Propoſitione XLIV. XLV. XLVI. XLVII. inculcare pergit. Quamvis enim peccator, vel impius adamuſſim quatuor illas conditiones in orando ſervet quas ſibi ab Angelico Doctore præſcriptas novit, *ut ſcilicet per ſe petat; neceſſaria ad ſalutem* (b) *pie, & perſeveranter*: hujuſmodi tamen oratio utpote chatitatis expers, peccatum eſt juxta XLIV. XLV. XLVI. & XLVII. Propoſitiones Queſnellianas quas hoc loco, ut manifeſtò Queſnellus convincatur, recitare ne pigeat. Ecce tibi Propoſitio XLIV. *Non ſunt niſi duo amores, unde volitiones, & actiones omnes noſtræ naſcuntur; amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur; & amor, quo nos ipſos, ac mundum diligimus, qui, quod ad Deum referendum eſt, non refert, & propter hoc ipſum fit malus.*

Propoſitio XLV. *Amore Dei in corde peccatorum non amplius regnante neceſſe eſt, ut in eo carnalis regnet cupiditas, omneſque actiones ejus corrumpat.* Pro-

(a) 2. 2. quæſt.83. art.15. ad 2. (b) 2. 2. quæſt.83. art.16.

Propoſitio XLVI. *cupiditas, aut Charitas, uſum ſenſuum bonum, vel malum faciunt.*

Propoſitio XLVII. *Obedientia legis profluere debet ex fonte, & hic fons eſt charitas. Quando Dei amor eſt illius principium interius, & Dei gloria ejus finis, tunc purum eſt, quod apparet exterius, alioquin non eſt, niſi hypocriſis, aut falſa juſtitia.*

Ex omnibus ergo hiſce Queſnellianis Theſibus abunde ſatis conſtat quidquid ex charitate minimè profluit, peccatum eſſe; ac proinde orationem etiam impii alioquin perſeveranter ad ſalutem neceſſaria petentis, juxta Queſnellum peccatum eſſe, quippe quæ à charitate non manet. Quamobrem optimo quidem Jure anathema Conſtantienſis generalis Synodi, ac trium Summorum Pontificum Pii V., Gregorii XIII., & Urbani VIII., totiuſque Eccleſiæ, nec non Divi Thomæ gravem cenſuram promeretur Queſnellus. Conſtantienſis enim Synodus damnavit hunc articulum, *oratio præſciti* (a) *nulli valet.* Ergo multo magis damnaſſe cenſenda eſt hanc alteram LIX. Theſim Queſnellianam: *Oratio impiorum eſt novum peccatum.*

Operæ verò pretium eſt animadvertere à Conſtantienſi Synodo orationem hìc præſciti etiam, qui charitate caret, dum orat; intelligi quippe cui in animo ſit oſtendere non omnia opera quæ ſine charitate, vel in peccato mortali fiunt, eſſe peccata; atque ob eam cauſam ſeſſione 15. errorem damnavit VVicleffi deblaterantis: *quidquid homo in peccato mortali fecerit, peccat mortaliter.*

Tum Pius autem V., Gregorius XIII., & Urbanus VIII. Summi Pontifices XXXV. Bay Theſim: *omne quod agit peccator, ſive ſervus peccati, peccatum eſt*, damnaverunt; tum univerſa Eccleſia reprobavit. Sequitur ergo ut iſtam quoque Queſnellianam omnino conſonam illi, atque ſynonimam reſpuat, ac perhorreſcat.

(a) *Articul. Joan. VVicleſ. 26. ſeſſ. 8. damnatus.*

Sanctus Auguſtinus lib. de Natura, & Gratia cap. 22. hæc profert in medium: *nec cogitat* (Pelagius) *prævaricatorem legis quam digne lux deſerat veritatis, qua deſertus utique ſit cæcus, & plus neceſſe eſt offendat, & cadendo vexetur, vexatuſque non ſurgat, ut ideò tantum audiat vocem legis, quo admoneatur implorare gratiam Salvatoris.*

Refellit ergo te Queſnelle Auguſtinus, & contra te ſentit opus bonum eſſe impii orationem qua gratiam Salvatoris implorat.

Sanctus denique Thomas elinguem reddit Queſnellum in eam Sententiam: *dicendum quod in peccatore duo ſunt conſideranda ſcilicet natura* (a) *quam diligit Deus, & culpa, quam odit. Si ergo peccator orando aliquid petit, in quantum peccator, ideſt, ſecundum deſiderium peccati; in hoc à Deo non auditur ex miſericordia: Orationem verò peccatoris ex bono naturæ deſiderio procedentem Deus audit, non quaſi ex juſtitia, quia peccator hoc non meretur, ſed ex pura miſericordia; Obſervatis tamen quatuor præmiſſis conditionibus; ut ſcilicet per ſe petat, neceſſaria ad ſalutem, pie, & perſeveranter.*

PRO-

(a) 2. 2. Qu. 83. art. 16.

PROPOSITIO LX.

Si ſolus ſupplicii timor animat pęnitentiam, quo hæc eſt magis violenta, eo magis ducit ad deſperationem.

Queſnellus Matth. 27. 5. *edition.* 1693. & 1699.

PROPOSITIO LXI.

Timor non niſi manum cohibet, cor autem tandiu peccato addicitur, quandiu ab amore juſtitiæ non ducitur.

Queſnellus Luc. 20. 59. *edition.* 1693. & 1699.

PROPOSITIO LXII.

Qui à malo non abſtinet, niſi timore pœnæ, illud committit in corde ſuo, & jam eſt reus coram Deo.

Queſnellus Matth. 21. 46. *edition.* 1693. & 1699.

Digitized by Google

PROPOSITIO LXIII.

Baptizatus adhuc eſt ſub lege, ſicut Judæus, ſi legem non adimpleat, aut adimpleat ex ſolo timore.

Queſnellus Roman. 6. 14. *editione* 1693. & 1699.

PROPOSITIO LXIV.

Sub maledicto legis nunquam fit bonum, quia peccatur, ſive faciendo malum, ſive illud non niſi ob timorem evitando.

Queſnellus Gal. 5. 18. *editione* 1693. & 1699.

PROPOSITIO LXV.

Moyſes, Prophetæ, Sacerdotes, & Doctores Legis mortui ſunt, abſque eo quod nullum dederint filium, cum non effecerint, niſi mancipia per timorem.

Queſnellus Marc. 12. 19. *editione* 1693. & 1699.

PRO-

PROPOSITIO LXVI.

Qui vult Deo appropinquare, nec debet ad ipſum venire cum brutalibus paſſionibus, neque adduci per inſtinctum naturalem, aut per timorem, ſicut beſtiæ, ſed per fidem, & per amorem, ſicut filii.

Queſnellus Hebr. 13. 20. *editione* 1693.

****

PROPOSITIO LXVII.

Timor ſervilis non ſibi repræſentat Deum, niſi ut Dominum durum, imperioſum, injuſtum, intractabilem.

Queſnellus Luc. 19. 21. *editione* 1693.

CAtholica Eccleſia una cum Magno Auguſtino, ac Divo Thoma Doctore Angelico duos agnoſcit, fateturque ſerviles timores, primum bonum; ſecundum malum; primum quidem rectum, atque honeſtum, quia licet non ex Theologicæ charitatis fonte fluat; ſic tamen vel ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex geennæ, & pœnarum metu concipitur, ut voluntatem peccandi excludat, quemadmodum ſeſſ. 14. cap. 4. Tridentina Synodus generalis declarat: ſecundum pravum, utpote quo liberum humanæ voluntatis arbitrium perſequitur opere vitium, ſed amore proſequitur, & mallet, ſi fieri poſſet, non eſſe, quod timeat, ut libere faciat, quod occulte deſiderat.

Queſnellus verò primum hunc ſervilem timorem, quem Auguſtinus, Divus Thomas, & univerſa Eccleſia (ut mox oſtendam) laudat, & ſuadet; vituperat, & malum putat, quippe qui haud ex Theologica profluat charitate; ut abundè ſatis, ſuperque in Propoſitione XLIV. XLV. XLVII. LVIII. ſua idem Queſnellus indicat, & inculcat malum eſſe quidquid ex Theologica non proficiſcitur charitate; atque ob eam cauſam etiam in his Theſibus quem timorem univerſa Eccleſia comprobat, pergit reijcere, ac reſpuere, facem præferente Luthero.

Verum enim verò ipſum quoque Queſnellum una cum Luthero Præceptore ſuo condemnat generalis Tridentina Synodus ſeſſione 6. canone 8. in eam ſententiam: *Si quis dixerit geennæ metum, per quem ad miſericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel à peccando abſtinemus, peccatum eſſe, aut peccatores pejores facere; anathema ſit.*

Rurſus eadem Synodus clarius, & uberius ſeſſione 14. cap. 4. ità declarat. *Illam verò contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex geennæ, & pœnarum metu communiter concipitur, ſi voluntatem peccandi excludat cum ſpe veniæ, declarat non ſolum non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, verum etiam donum Dei eſſe, & Spiritus Sancti impulſum non adhuc quidem inhabitantis, ſed tantum moventis, quo pœnitens adjutus viam ſibi ad juſtitiam parat.*

Attritio igitur cum e. Synodi Tridentinæ ſententia, *donum Dei ſit, & Spiritus Sancti impulſus*; certè bona, honeſtaque eſt; *cum ſit impulſus Spiritus Sancti non adhuc quidem inhabitantis, ſed tantum moventis*; haud quaquam profectò ex Theologica oritur charitate; quia ubi charitas, ibi quoque Spiritus Sanctus inhabitat.

Refellit præterea Queſnellum Senonenſe Concilium, quod hanc Theſim damnat: *non licet inducere homines per timorem ad pœnitentiam.*

Ale-

Alexander VIII. Summus Pontifex Theſim illam XV. damnavit: *Attritio, qua ex geenna & pœnarum metu concipitur ſine dilectione benevolentia Dei propter ſe, non eſt bonus motus, ac ſupernaturalis.*

Hanc verò propoſitionem univerſa quoque Eccleſia condemnavit; eadem igitur ratione haſce tuas etiam mi Queſnelle Theſes, XV. huic omnino conſonas reprobat, & execratur.

Seraphicus Doctor Bonaventura, quem tanti Gallia facit, ità ſuam ſententiam aperit: *Timor ſervilis donum Spiritus Sancti eſt; nec tamen eſt cum Spiritu Sancto:* (a) *ſicut aurora eſt à Sole, nec tamen cum Sole eſt: Timor ſervilis Spiritui Sancto locum præparat, & eum, ſicuti ſeta filum, introducit: timor ſervilis duo facit: primum eſt, quod viam præparat charitati; ſecundum, quod retrahit à peccato metu pœna tantum.*

Dum e Seraphici Bonaventuræ ſententia, *timor ſervilis donum Spiritus Sancti eſt;* certè bonus, honeſtuſque eſt; Dum verò *non eſt cum Spiritu Sancto;* haud quaquam ſanè ex Theologica profluit charitate; nam ubi charitas Theologica, ibi quoque Spiritus Sanctus inhabitat; & tamen hujuſmodi timor bonus eſt, ſi tanto Magiſtro Queſnelle credis.

Divus Thomas Doctor planè Angelicus acerbiſſimum ſervilis timoris hoſtem Queſnellum elinguem reddit ſuopte iſto ineluctabili ſyllogiſmo: *Nullum* (inquit) *malum eſt à Spiritu Sancto; ſed timor ſervilis eſt à Spiritu Sancto, quia ſuper illud Roman.* 8. *non accepiſtis ſpiritum ſervitutis &c. dicit gloſſa: unus* (b) *ſpiritus eſt qui facit duos timores, ſcilicet ſervilem, & caſtum.* Rurſus idem ibidem ità: *Timor ſervilis ſecundum ſuam ſubſtantiam bonus eſt.*

Magnus demum Auguſtinus imponat coronidem, & Queſnellum apertè coarguat, & convincat: qui certè quidem, cum ea Pſalmi 127. verba. *Beati omnes, qui timent Dominum,* interpretaretur, in eam pronunciavit ſententiam: *Ille timor*

(a) *Opuſculo de gratia ſanctificante cap.* 4. (b) 2. 2. *quæſt.* 19. *art.* 4.

nondum caſtus præſentiam Domini, & pœnas timet; timore facit quidquid boni facit, non timore amittendi bonum illud, ſed timore patiendi illud malum, non timet ne perdat amplexus pulcherrimi Sponſi; ſed timet ne mittatur in geennam: bonus eſt & iſte timor, utilis eſt.

Ecce tibi Queſnelle chariſſime timor ſervilis, bonus quidem, & utilis, ſi magno credis Auguſtino; & tamen à Theologica non oritur charitate, ut ſatis conſtat. Quid quæris amplius? Cur igitur, aut quem ad finem timorem iſtum quem Auguſtinus, ac univerſalis Eccleſia (ut hactenus demonſtratum eſt) bonum judicat, ſuadet, ac laudat; Hìc Tu unus ex omnibus tanquam pravum, & impium reijcis, adhuc, & reſiſtere, ac repugnare veritati pergis?

Oppoſitio I. Queſnellianorum.

Auguſtinus epiſtola 144. ait: *Inaniter putat victorem ſe eſſe peccati, qui pęna timore non peccat, quia etſi non impletur foris negotium malæ cupiditatis; ipſa tamen mala cupiditas intus eſt hoſtis.*

Reſponſio.

Auguſtinus ideò præclarè, ſapienterque judicat *victorem inaniter eſſe pecati illum, qui timore pęna non peccat:* quia mox idem Sacer Doctor ſubnectit ſic: *Et quis coram Deo innocens invenitur, qui vult fieri, quod vetatur, ſi ſubtrahas, quod timetur? ac per hoc in ipſa voluntate reus eſt qui vult facere quod non licet fieri; ſed ideò non facit, quia impunè non poteſt fieri.*

Hìc enim verò Auguſtinus pravum illum timorem ſervilem ad vivum exprimit, quem pingui minerva nos in principio dicendi ſumus adumbrare conati. Argumenta igitur veſtra Queſnelliani ex Auguſtini auctoritate petita refellunt certè quidem ſecundum timorem ſervilem pravum, quem Auguſtinus ipſe, ac univerſa Orthodoxa Eccleſia, & nos vobiſcum reijcimus; ſed primum illum ſervilem timorem bonum, ac rectum, & utilem, quem contra Vos, & Queſnel-

nellum, atque Bajanos, & Lutheranos, Auguſtinus, ac tota Eccleſia (ut ſupra demonſtratum eſt) laudat, ſuadetque; nihil prorſus oppugnant.

Oppoſitio II.

Auguſtinus libro de natura, & gratia cap. 57. ità ſcribit: *ſub lege eſt qui timore ſupplicii quod lex minatur, non amore juſtitiæ ſe ſentit abſtinere ab opere peccati, nondum liber, nec alienus à voluntate peccandi. In ipſa enim voluntate reus eſt, qua mallet, ſi fieri poſſet, non eſſe quod timeat, ut liberè faciat quod occultè deſiderat.*

Reſponſio.

Quamquam Beatus Auguſtinus timorem ſervilem cum juſtitiæ amore conjunctum ad peccandi deſiderium, pravamque mentem deponendam valere cenſet: hujuſmodi tamen amor juſtitiæ non eſt ille, qui ex Theologica oritur charitate, quemque ſolum Queſnellus veſter Queſnelliani requirit; niſi velitis planè Auguſtinum ineptè ſecum, craſſeque pugnare: cum ipſemet Sacer Doctor ſerm. 13. de verbis Apoſtoli ſic affirmaverit: *Jam ergo non in timore, ſed in dilectione ut non ſervi, ſed filii ſimus. Qui enim adhuc ideo benè agit, quia pœnam timet, Deum non amat, nondum eſt inter filios; Utinam tamen vel pęnam timeat. Timor ſervus eſt, charitas libèra eſt: & , ut ſic dicamus, timor eſt ſervus charitatis, ne poſſideat diabolus cor tuum, præcedat ſervus in corde tuo, & ſervet Dominæ venturæ locum; Fac, fac vel timore pœnæ, ſi nondum potes amore Juſtitiæ. Veniet Domina, & ſervus abſcedet: quia conſummata charitas foras mittit timorem.*

Hoc ſanè loco Auguſtinus pro *Juſtitiæ amore*, intelligit amorem ex Theologica ortum charitate, quam in antecedenti orationis membro meminit, & in toto contextu maximè illuſtravit: & tamen amorem hujuſmodi Theologicum non requirit, cum ſervilem amorem licet ex hoc Theologico juſtitiæ amore non promanantem laudet, ac ſuadeat. In iis verò, quos nobis opponunt Queſnelliani, textibus, timo-

rem

rem ab amore juſtitię vacuum, atque nudum reſpuit, & amorem juſtitiæ maximè poſtulat: At non amorem juſtitiæ ex Theologica profectum charitate intelligit, ſed amorem juſtitiæ ex honeſti, rectique ſpecie, ac forma ortum fateatur neceſſe eſt; præſertim cum pluribus, clariſſimiſque teſtimoniis timorem ſervilem Theologicæ charitatis jejunum, bonum eſſe, ac utilem confirmaverit: *Adhuc enim* (inquit) *iſte timor, ille ſervilis eſt, cuſtos quidem malorum, ut abſtineant ſe à malis,* (a) *& abſtinendo digni ſint ad ſe admittere charitatem;* Et Tractatu 9. in Epiſtolam primam Joannis idem Auguſtinus ait: *Si autem nullus timor, non eſt qua intret charitas; ſicut videmus per ſetam introduci linum, quando aliquid ſuitur, ſeta prius intrat, ſed niſi exeat, non ſuccedit linum: ſic timor primo occupat mentem, non autem ibi remanet timor, quia ideo intravit, ut introduceret charitatem.*

Oppoſitio III.

Queſnelli aſſeclæ, ac Diſcipuli ſtudent hoc loco pro virili parte Magiſtrum ſuum defendere, perinde ac ſi Theſi LXI. cum Auguſtino conſentiat, dum pronunciat, *Timorem non niſi manum cohibere, cor autem tandiu peccato addici, quandiu ab amore juſtitia non ducitur;* cum vel ipſemet Auguſtinus ad peccati deſiderium deponendum non timorem modo, ſed amorem etiam recti, juſtitiæque requirat.

Reſponſio.

Queſnellus verbis quidem Auguſtino congruit, Sententiis verò diſcrepat, utpote qui eum juſtitiæ amorem flagitet, qui ex Theologicæ ſolum charitatis fonte hauriatur: Auguſtinus verò amorem juſtitiæ non ex Theologica ſane charitate, ſed ex honeſti, rectique forma (ut jam oſtendimus) exortum requirit.

Queſnellus inſuper cum in Propoſitione XLIV. non diſtinguat, niſi duos tantum amores, alterum bonum, Theologicum ſcilicet, alterum verò malum: ſequitur illico ut etiam

(a) *Serm.* 18. *cap.* 12.

etiam amorem juſtitiæ, qui non ex Theologica charitate, ſed ex honeſti ſtudio, ac pulchritudine initium ducit, quemque Auguſtinus comprobat, execretur.

Oppoſitio IV.

Ajunt rurſus Queſnelliani Queſnellum ſuum ab Auguſtini ſententia minime abhorrere, cum uterque iiſdem verbis ſolum timorem pœnæ ſoleat reprobare.

Reſponſio.

Conſonant verbis illi quidem certè, at ſententiis inter ſe plurimum diffident. Cum enim Queſnellus XLIV. Theſi ſolum charitatis Theologicæ amorem bonum ſtatuat, cæteros verò cunctos amores, ideoque amorem etiam honeſti, ut malos reſpuat: improbet quoque neceſſe eſt timorem illum ut pravum, qui eſt à ſola charitate Theologica disjunctus; licet ſit amori honeſti, rectique addictus: &, ut paucis rem abſolvam, Queſnellus eum ſolum timorem pravum putat, qui ſolum eſt charitate Theologica denudatus: Auguſtinus verò eum ſolum timorem cenſet malum, qui non charitatis modo Theologicæ amore, ſed honeſti etiam ſtudio, ac amore orbatus eſt. Idcirco Auguſtinus timorem amori honeſtatis addictum laudat, ac ſuadet, licet ſit à Theologica charitate disjunctus: Contra verò Queſnellus timorem hunc malum reputat, ſi non ſit charitati Theologicæ addictus, ut ſupra demonſtratum eſt. Sed differre inter Magnum Auguſtinum, & Queſnellum, nimium quantum, neſcio quid immenſum.

Oppoſitio V.

Auguſtinus lib. 2. contra Adverſarium Legis, & Prophetarum cap. 7. ait: *Deſiderium peccandi non extinguitur, niſi contrario deſiderio recte faciendi, ubi fides per dilectionem operatur.*

Reſponſio.

Cum ex una parte deſiderium recte faciendi peccato contrarium, aliud ex Theologica charitate, aliud verò ex ipſomet

met amore honeſti, rectique manet: neque Auguſtinus hìc determinet, utrum *hoc recte faciendi deſiderium* ex Theologica charitate, an ex honeſti amore ortum ad pravam deponendam mentem requirat; ex alia verò parte amorem juſtitiæ ex ipſo ſtudio honeſti profectum ad peccati deſiderium deponendum ſatis eſſe (ut jam oſtendimus) arbitretur; fateamur plane neceſſe eſt Auguſtinum ſatis, ſuperque habere, quod iſtud recte faciendi deſiderium, vel ex Theologica charitate, vel ex amore honeſti promanet.

Vos verò Queſnelliani, Bajani, ac Lutherani, quibus honeſtatis amor ad pravam deponendam mentem non ſatis eſt; ſed Theologicam ſolum charitatem requiritis: Videte, quæſo, ab Auguſtino quàm graviter non verbis, ſed univerſa re, ac tota ſententia diſcrepetis. Quamquam verò Auguſtinus ad vitioſam cupiditatem abijciendam *dilectionem illam, per quam fides operatur*, memoret; Cum tamen nequaquam ſtatuat utrum dilectionem ex Theologica charitate, an ex amore honeſti, vel ſpe Theologica exortam indicet: Satis profecto, ſuperque habet, quod *hæc dilectio, per quam fides operatur*, vel ex Theologica charitate, vel ex honeſti amore, vel ex ipſa ſpe Theologica, quæ non eſt charitas Theologica, oriatur: Ecce quam belle in rem noſtram cadit exemplum illud, quod Tridentina generalis Synodus ante oculos ponit in eam Sententiam: *Diſponuntur autem ad ipſam juſtitiam, dum excitati divina gratia, & adjuti* (a) *fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum, credentes vera eſſe, quæ divinitus revelata, & promiſſa ſunt, atque illud in primis à Deo juſtificari impium per gratiam ejus, per redemptionem quæ eſt in Jeſu Chriſto, & dum peccatores ſe eſſe intelligentes, à divinæ juſtitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad conſiderandam Dei miſericordiam ſe convertendo, in ſpem eriguntur, fidentes Deum ſibi propter Chriſtum propitium fore, illumque tanquam omnis juſtitiæ fontem diligere incipiunt; ac* pro-

(a) *Seſſ. 6. cap. 6.*

propterea moventur adverſus peccata per odium aliquod, ac deteſtationem &c.

Hinc verò Queſnelliani facile intelligitis fidem primum in Peccatoris corde per timorem Divinæ Juſtitiæ, quo Peccatores utiliter concuti, quemque ante dilectionem Dei concipi Tridentinum Concilium dicit, deinde per ſpem, ac dilectionem Dei, quæ non à Theologica charitate, ſed à Theologica ſpe ducit exordium, operari: Idemque Tridentinum Concilium œcumenicum ad hujuſmodi timorem velut honeſtum, bonum, ac utilem vehementer excitat Peccatores.

Auguſtinus ergo, cui ad pravam deponendam mentem, amor honeſti, vel dilectio Dei, quæ ex Theologica ſpe oritur, ſatis eſt, quin Theologicum amorem requirat: Satis quoque ſuperque habet quod illa *dilectio, per quam fides operatur*, non ex Theologicæ charitatis, ſed ex ipſius Theologicæ ſpei fonte fluat; quin Theologicum duntaxat amorem perinde, ut Lutherani, Queſnelliani, atque Bajani ad pravum animi deſiderium abjiciendum requirat. Quemadmodum enim Tridentina Synodus œcumenica in allato exemplo profitetur fidem operari etiam per dilectionem Dei, quæ non à Theologica charitate, ſed à Theologica ſpe exoritur; ac per iſtam Dei dilectionem, quæ non eſt à charitate Theologica, ſed à ſpe Theologica orta, Peccatorem ſcelera deteſtari: Ita profecto cum Auguſtinus dicat *deſiderium peccandi non extingui, niſi contrario deſiderio rectè faciendi, ubi fides per dilectionem operatur*: nequaquam intelligat neceſſe eſt fidem operari per dilectionem, quæ ex ſola oritur Theologica charitate, ac peccandi deſiderium ſola Theologica charitate deponi, atque extingui: ſed fateatur oportet fidem operari per dilectionem, quæ vel ex Theologica charitate, vel ex amore honeſti, vel ſpe Theologica proficiſcitur, & peccandi deſiderium extingui, vel Theologica charitate, vel honeſti, rectique amore, vel dilectione Dei, quæ non ex Theologica charitate, ſed ex Theologica ſpe oriatur.

Oppo-

Oppoſitio VI.

Auguſtinus ſerm. 18. cap. 9. inquit: *Timor id agebat, ne faceres, charitas id agit, ne velis facere, etiamſi impunè poſſis admittere.*

Reſponſio.

Præclare quidem, ſapienterque Auguſtinus non dixit *charitatem ſolam id agere, ne velis facere*; quominus nempe frigide ſecum, inepteque pugnaret, quippequi etiam amorem juſtitiæ non ex charitate, ſed ex honeſti amore ortum (ut jam oſtendimus) *id agere, ne velis facere*, prædicaverit: Sed dixit *charitatem id agere, ne velis facere*; quin amorem honeſti reſpuat, qui etiam ſervili timori junctus *id agit, ne velis facere*; ut ipſe Sacer Doctor ibidem antecedentibus illico verbis ſuam ſententiam aperit, timoremque ſervilem comprobat ſic: *ſerviliter times, formido eſt mali, nondum dilectio boni; ſed time tamen, ut iſta formido cuſtodiat Te., ut perducat ad dilectionem; Timor enim iſte, quo geenam times, & ideo mala non facis, continet Te: & ſic volentem peccare animum interiorem non ſinit; eſt enim quidem cuſtos timor, quaſi pedagogus legis, littera eſt minans, nondum gratia juvans. Cuſtodiat tamen Te timor iſte, dum non facis timendo, & veniat charitas &c.*

Objectio VII.

Auguſtinus ſerm. 39. de tempore (*a*) ait: *Quapropter quiſquis vetus peccatum vis extinguere; mandato novo extingue cupiditatem, & amplectere charitatem.*

Reſponſio.

Non vituperat bonum, qui hortatur ad melius. Quamquam enim Auguſtinus, honeſtique, ac recti ſtudium (ut hactenus demonſtravimus) ad pravam deponendam mentem ſatis eſſe reputat; Hoc tamen loco ad altiorem, perfectiorem, atque conſtantiorem malæ cupiditatis abijciendæ modum vehementer mortales excitat; Cum excelſos animos ad charitatem amplectendam, excolendamque inflammet.

PRO-

(a) *Serm.* 39. *de Tempore.*

PROPOSITIO LXVIII.

Dei bonitas abbreviavit viam ſalutis, claudendo totum in fide, & precibus.

Queſnellus Act. 2. 21. edition. 1693. & 1699.

HÆc Propoſitio manifeſtò pugnat cum generali Synodo Tridentina, quæ canone 19. ità definit: *ſi quis dixerit nihil præceptum eſſe in Evangelio præter fidem, cætera eſſe indifferentia, neque præcepta, neque prohibita, ſed libera, aut decem præcepta nihil pertinere ad Chriſtianos; anathema ſit.*

Sentit igitur œcumenica Tridentina Synodus præter fidem, & preces requiri, ac pertinere quoque præcepta Decalogi ad ſempiternam felicitatem comparandam. Quamobrem turpiter Queſnelle mi laberis, quòd opineris totum, quod ad ſalutem ſpectat, in fide, ac precibus claudi.

Rurſus eadem Synodus ſeſſione 6. canone 29. ſtatuit: *ſi quis dixerit eum, qui poſt bapiſmum lapſus eſt, non poſſe per Dei gratiam reſurgere, aut poſſe quidem, ſed ſola fide amiſſam juſtitiam recuperare ſine Sacramento Pœnitentiæ, prout Sancta Romana, & univerſalis Eccleſia à Chriſto Domino, & ejus Apoſtolis edocta hucuſque profeſſa eſt, ſervavit, & docuit; anathema ſit.*

Certè Sacramentum Pœnitentiæ, quod requirit Synodus ad juſtificationem recuperandam, nequaquam in fide, ac precibus clauditur; cum ſæpe numero fides, ac preces non includant Pœnitentiæ Sacramentum. Erras igitur vehementer Queſnelle mi, qui viam ſalutis abbrevias, totum in fide, ac precibus claudendo, ac Tridentinæ iterum Synodo minimè definis refragari.

Repugnat inſuper Queſnelliana hujuſmodi propoſitio evan-

evangelio prædicanti in eam ſententiam: *non omnis* (*a*) *qui dicit mihi Domine, Domine; intrabit in Regnum Cœlorum*. En fides precibus conjuncta, nec tamen in fide ac precibus totum, quod ad æternam ſalutem pertinet, clauditur, ut falsò putat Queſnellus, ac ſomniat. Præter enim fidem, ac preces, requiruntur opera, ut patet Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata*, & 2. Jacobi: *Quid proderit Fratres mei, ſi fidem quis dicat ſe habere, opera autem non habeat? Nunquid poterit fides ſalvare eum?* & 2. Petri. *Satagite ut per bona opera certam veſtram vocationem, & electionem faciatis*.

Beatus Paulus ad Roman. 8. inquit: *Si ſpiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis*. Quo quidem loco præter fidem, & preces, effrænatarum cupiditatum victoriam, quæ certè quidem non in fide, ac precibus clauditur, neceſſariam eſſe ad ſalutem Paulus prædicat.

S. Auguſtinus ità ſuam clarè ſententiam aperit, ut nihil ſupra: *Homines* (inquit) *non intelligentes quod ait Apoſtolus; arbitramur hominem juſtificari per fidem ſine operibus legis; putaverunt eum dicere ſufficere homini fidem, etiamſi malè vivat, & bona opera non habeat, quod abſit uti ſentiret vas electionis*.

PRO-

(a) *Matth*. 7.

PROPOSITIO LXIX.

Fides, uſus, augmentum, & præmium fidei, totum eſt Donum puræ liberalitatis Dei.

Queſnellus Marc. 9 22. edit. 1693. & 1699.

MOrtiferum virus altè ab aliis in hujus propoſitionis venas fixum tam obſcurè latet, ut ab incautis minimè deprehendatur: Quo circa operæ pretium me facturum exiſtimo, ſi, quo tota, quanta eſt, veneni vis erumpat, & exprimatur, Propoſitionem iterum XXI. & XXV. protulero. XXI. enim hæc eſt ſententia: *Gratia Jeſu Chriſti, eſt gratia fortis, potens, ſuprema, invincibilis, utpotè quæ eſt operatio voluntatis omnipotentis, ſequela, & imitatio operationis Dei incarnantis, & reſuſcitantis Filium ſuum*. XXV. Theſis ità ſe habet: *Deus illuminat animam, & eam ſanat æque, ac corpus ſola ſua voluntate: jubet, & ipſi obtemperatur*.

Hujuſmodi verò Theſes jam benè juvante Deo Optimo Maximo demonſtravimus id unum ſibi velle, ut liberum hominis arbitrium velut inanime quoddam, nihil omnino agat, merèque paſſivè ſe habeat. Quamobrem dum hac in Theſi Queſnellus aſſerit fidem, uſum, augmentum, & præmium fidei, totum eſſe donum puræ liberalitatis Dei: intelligit profectò liberum hominis arbitrium nihil omnino agere, nihilve cooperari, ſed merè paſſivè ſe habere, rationemque propterea meriti, naturamque de medio tollit.

Pugnas igitur mi Queſnelle apertè in hac Propoſitione tua cum œcumenica Synodo Lateranenſi ſub Innocentio III. celebrata, cujus hæc eſt ſententia: *non ſolum Virgines, & Continentes, (a) verum etiam conjugatæ per rectam fidem, & opera-*

O tio-

(a) *In capite* firmiter *de ſumma Trinitate, & Fide Catholica*. (1.)

tionem bonam placentes Deo ad aeternam merentur beatitudinem pervenire.

Ex hujuſce Synodi ſententia per rectam fidem, & bonam operationem, beatitudinem promeremur æternam. Igitur ex hujus quoque Concilii ſententia *Fides recta*, *& bona operatio*, quæ certè quidem etiam uſus, & augmentum fidei jure optimo habenda eſt, cum fides juxta Beatum Jacobum Apoſtolum *ſine* (*a*) *operibus mortua ſit*; actus meritorii ſine controverſia ſint oportet: Ergo non ſunt totum donum puræ liberalitatis Dei; ut falsò Tu autumas Queſnelle, manifeſtòque Lateranenſi Synodo refragaris. Nam fides, uſus, & augmentum fidei ità ſunt donum Dei, ut eodem tempore merita quoque noſtra eſſe non deſinant.

Arauſicana inſuper ſecunda Synodus Te canone 18. damnat, ac reijcit in eam ſententiam: *Debetur merces bonis operibus, ſi fiant, ſed gratia, quæ non debetur, præcedit ut fiant.*

Refragaris etiam Queſnelle Tridentinæ Synodo generali, quæ ſeſſione 6. canone 32. ità definit: *ſi quis dixerit hominis juſtificati bona opera ità eſſe dona Dei, ut non ſint etiam bona ipſius juſtificati merita; aut ipſum juſtificatum, bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam, & Jeſu Chriſti meritum, cujus vivum membrum eſt, fiunt, non verè mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipſius vitæ æternæ, ſi tamen in gratia deceſſerit, conſecutionem, atque etiam gloriæ augmentum; anathema ſit.*

E ſententia Tridentinæ Synodi œcumenicæ *hominis juſtificati bona opera ità ſunt dona Dei, ut ſint etiam bona ipſius juſtificati merita.* E ſententia igitur ejuſdem Synodi, juſtificati fides, uſus, & augmentum fidei ità ſunt dona Dei, ut ſint etiam bona ipſius juſtificati merita. Vehementer ergo, ac turpiter Queſnelle hallucinaris quòd ſentias fidem, uſum, & augmentum fidei eſſe totum donum puræ liberalitatis Dei, ut nihil loci noſtris meritis relinquendum putes.

Rur-

(a) *Epiſtol.* 2.

Rurſus eadem Synodus œcumenica Tridentina ſeſſione 6. cap. 16. docet, *Benè operantibus uſque in finem, & in Deo ſperantibus proponendam eſſe vitam aeternam, & tamquam Filiis Dei per Chriſtum Dominum miſericorditer promiſſam, & tanquam mercedem ex ipſius Dei promiſſione bonis ipſorum operibus, & meritis fideliter reddendam.*

Vita æterna juxta Synodum œcumenicam Tridentinam benè operanti, & ut gratia, & ut merces proponitur. Sed fidei quoque, uſui, & augmento fidei ipſius juſtificati vita æterna proponitur juxta illud B. Pauli: *bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi, in reliquo repoſita eſt mihi* (*a*) *corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die juſtus Judex.* Sequitur igitur ut fidei, uſui, & augmento fidei ipſius juſtificati vita æterna, & ut gratia, & ut merces juxta Tridentinam Synodum, & Paulum proponatur. Falſum itaque eſt Queſnelle quòd aſſeris præmium fidei totum eſſe donum puræ liberalitatis Dei, cum nihil loci merito, ac mercedi relinquas.

Repugnas demum Beato Paulo Apoſtolo, qui capite ad Hebræos 11. ſic prædicat: *Sancti per fidem adepti ſunt repromiſſiones.* Ergo fides juxta Beatum Paulum eſt actus etiam meritorius, ut ſatis conſtat; nec non B. Thomas Aquinas Doctor Angelicus proponens quæſtionem, *utrum credere ſit meritorium*, decidit meritorium eſſe his verbis: *Dicitur ad Hebræos* 11. *quod Sancti per fidem adepti ſunt repromiſſiones*: (*b*) *quòd non eſſet, niſi credendo mererentur. Ergo ipſum credere eſt meritorium.*

Rurſus idem Doctor 1. 2. quæſt. 114. artic. 3. ait: *Dicendum quòd opus meritorium hominis dupliciter conſiderari poteſt, uno modo ſecundum quod procedit ex libero arbitrio, alio modo ſecundum quòd procedit ex gratia Spiritus Sancti.*

Juxta igitur Beatum Paulum Apoſtolum, & Angelicum Doctorem Thomam fides eſt meritoria. Ego falſum eſt quod aſ-

O 2

(a) *Secunda ad Timoth.* (b) 2. 2. *quæſt.* 2. *artic.* 9.

aſſeveras fidem eſſe totum donum puræ liberalitatis Dei.

Sanctus demum Auguſtinus ità imponat huic propoſitioni coronidem; *Quod paulò poſt dixi, noſtrum enim eſt credere, & velle, illius autem dare credentibus, & volentibus facultatem benè operandi per Spiritum Sanctum, per quem charitas diffunditur in cordibus noſtris: verum eſt quidem; ſed eadem regula, & utrumque ipſius eſt* (a) *quia ipſe præparat voluntatem, & utrumque noſtrum, quia non fit, niſi volentibus nobis.*

PROPOSITIO LXX.

Nunquam Deus affligit innocentes, & afflictiones ſemper ſerviunt vel ad puniendum peccatum, vel ad purificandum peccatorem.

Queſnellus Joan. 9. 3. *editione* 1693. & 1699.

QUeſnellus errorem hujuſmodi hauſit ab illa Bay Propoſitione LXXIII., quæ ità habet. *Omnes omninò juſtorum afflictiones ſunt ultiones peccatorum ipſorum. Unde Job, & Martyres, quæ paſſi ſunt, propter ſua peccata paſſi ſunt.* Quam quidem Propoſitionem S. Pius V., Gregorius XIII., & Urbanus VIII. Summi Pontifices damnavere, ac univerſa Eccleſia execrata eſt: atque ob eam cauſam propoſitionem etiam Queſnelli Bajanæ conſonam, & Summi Pontifices, & univerſa damnet Eccleſia neceſſe eſt.

Demonſtratur itaque falſitas hujus propoſitionis primo, quia Beatiſſima Virgo Maria fuit Regina Martyrum, & quamplurimis, acerbiſſimiſque propemodum ærumnis jacta-ta

(a) *Lib.* 1. *retract. cap.* 23.

ta eſt, ac infinitum prope dolorem cepit tunc vel maximè, cum vidit humani generis ſervatorem filium ſuum innocentiſſimum agnum in ara Crucis immolatum; tunc enim verò juxta Simeonis prophetiam *doloris gladius ipſius Virginis animam pertranſivit*; cum è Cruce depoſitum in ſinu ſuo puriſſimo, & immaculato complectebatur; & tamen nullum unquam peccatum contraxerat, cujus pœnas lueret; vel à quo purificaretur, cum nemo audeat vel leviſſimam illi maculam affingere, ut egregiè, verèque animadvertit Auguſtinus in eam ſententiam. *Stulte* (Manichæe) *unde ſordes* (*a*) *ex Virgine Matre, ubi non eſt concubitus cum homine Patre? unde ſordes in ea, quæ nec concipiendo, libidinem, nec pariendo eſt perpeſſa dolorem?* Dei Genitrix Virgo ab omni labe pura, & ſplendida, imo vero etiam ipſius puritatis, ac juſtitiæ lucidiſſimum ſpeculum citra ullam injuſtitiam à Deo afflicta fuit.

S. Joannes Baptiſta, cujus natalem diem univerſus Chriſtianus Orbis colit, ac celebrat, cujus magnitudini, ac ſanctitati etiam Servator teſtimonium dedit, cum affirmaverit *non ſurrexiſſe inter natos mulierum majorem Joanne Baptiſta*, quem Dominus vel in utero involutum ſanctitate, & gratia cumulavit; ab adulteris immaculatus ac juſtus occiditur, non propter acta ſcelera, quæ nunquam innocens Præcurſor Domini patrarat. Ergo falſum eſt quod Queſnelle aſſeris à Deo nunquam innocentes affligi, & afflictiones ſemper ſervire, vel ad puniendum peccatum, vel ad purificandum *Peccatorem*. Nam Tobiæ 12. disertè dicitur propterea Deus tot calamitates illi intuliſſe, quia erat Deo gratus, ut proindè tanquam aurum in fornace tribulationis eſſet probandus. Hæc enim habentur: *quia acceptus eras coram Deo, neceſſe fuit, ut tentatio probaret te*.

Hoc planè modo paternum ſuum amorem erga juſtos Deus oſtendit, ut dicitur Proverbiorum 3., *quem diligit Deus, corripit, & quaſi Pater in Filio complacet ſibi*. De patientiſſimo

(a) *Lib. de 5. hæreſib. cap. 5.*

mo Job dixit Dominus ad Satan: *Nunquid conſideraſti ſervum meum Job, quod non ſit ei ſimilis (a) in terra, homo ſimplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo?* Et tamen graviſſimas ærumnas Beatus Job pertulit, altiſſimæque patientiæ documentum poſteris dedit non propter peccata, quæ non patravit, ſi Divinæ Scripturæ credis. Falſum igitur eſt quod audes affirmare nunquam videlicet à Deo innocentes affligi, cum eos affligit in hac vita Deus, ut coronet in altera: *Beatus Vir qui ſuffert (b) tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ.*

Manifeſto demum Queſnelli errorem Chriſtus redarguit, qui cum à Diſcipulis interrogaretur ob cujuſnam culpam homo ille cæcus natus eſſet, dicentibus Rabbi (*c*) *quis peccavit? hic, aut parentes ejus, ut cęcus naſceretur?* Reſpondit, *neque hic peccavit, neque parentes ejus, ſed ut manifeſtarentur opera Dei in illo.*

Sic Apoſtoli Actor. 5. *Ibant gaudentes à conſpectu concilii, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Jeſu contumeliam pati.* S. Auguſtinus lib. 3. de libero arbitrio cap. 9. ait: *Si enim bonum, & magnum aliquem virum hortante honeſtatis officio videamus ignibus, quantum ad corpus attinet, concremari, non hoc vocamus pœnam peccati, ſed fortitudinis, & patientiæ documentum.* Et libro de Agone Chriſtiano capite 7. ita idem Sacer Doctor: *Nec enim nos moveat quod in hac vita ſecundum carnem, quam portant juſti, multa gravia, & aſpera tolerent: nihil enim mali patiuntur, quia jam poſſunt dicere quod ille Vir Spiritualis exultans, prædicat Apoſtolus Paulus dicens: gloriamur in tribulationibus ſcientes, quoniam tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio verò ſpem, ſpes autem non confundit, quia Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum; qui datus (d) eſt nobis.*

Job verò inquit Auguſtinus non propter peccata, ſed pro-

(a) *Lib. Job. cap.* 2. (b) *Jacob.* 1. (c) *Joan.* 9. (d) *Roman.* 5.

propter ejus demonſtrandam juſtitiam, illa omnia fuiſſe perpeſſum. Sic enim lib. de perfect. Juſtor. capit. 11. de eodem Job ait: *Non propter peccata ejus facta ſunt ei multæ contritiones, ſed propter probationem patientiæ.*

Sanctus demum Thomas Te Queſnelle refellit in eam Sententiam: *Pœnalitates diverſimode in diverſis inveniuntur* (a) *vel propter remedium ſalutis ejus, qui hujuſmodi pœnalitatibus ſubditur, ut ſcilicet per hoc à peccatis arceatur, aut etiam de virtutibus non ſuperbiat, & per patientiam coronetur.*

Toto igitur Cœlo Queſnelle aberras, quod ſentias nunquam à Deo innocentes affligi, & afflictiones ſemper ſervire, vel ad puniendum peccatum, vel ad purificandum Peccatorem.

O 4 PRO-

(a) 2. 2. Q. 164. art. 1. ad 4.

PROPOSITIO LXXI.

Homo ob ſui conſervationem poteſt ſe ſe diſpenſare ab ea lege, quam Deus condidit in ſui utilitatem.

Queſnellus Marc. 2. 28. *edition.* 1693. & 1699.

HÆc Propoſitio apertè pugnat cum Synodo œcumenica Tridentina, quæ ſeſſione 6. canone 20. definit in eam Sententiam: *Si quis dixerit hominem juſtificatum quantumlibet perfectum non teneri ad obſervantiam Mandatorum Dei, & Eccleſiæ, ſed tantum ad credendum; quaſi verò Evangelium ſit nuda, & abſoluta promiſſio vitæ æternæ ſine conditione obſervationis Mandatorum, anathema ſit.* Homo è ſententia Tridentini Concilii tenetur ad obſervantiam Mandatorum Dei, ac Legis, quæ certè quidem in utilitatem hominis Deus condidit: Ergo nequit homo ob ſui conſervationem ab hujuſmodi lege ſe diſpenſare.

Hinc patet non poſſe homines ob ſui conſervationem diſpenſari ab ea lege; quam Deus condidit ob eorum utilitatem. Deus enim cum ſit prima veritas nequit unquam ullo modo diſpenſare hominem, ut in ullo rerum unquam articulo mentiatur: cum ſit ſumma bonitas non poteſt Hominem, aut Angelum diſpenſare, ut Deum odio habeat: cum ſit ipſa ſanctitas, nequit hominem diſpenſare, ut pejeret, vel nomen Domini diris devoveat; cum ſit unicus Deus, & bonum, quo nihil majus, nihil præſtantius excogitari poteſt, nequit hominem diſpenſare, ut alienos falſos, & inanes Deos opera manuum hominum iniquorum veneretur, & colat. Multo magis Queſnelle nequit homo propria auctoritate ſe ſe diſpenſare ab hujuſmodi Præceptis, ac Legibus ob ſui conſervationem.

Tua

Tua enim iſthæc horrenda Queſnelle propoſitio docet hominem ob ſui conſervationem poſſe ſe ſe diſpenſare ab ea Lege, quam Deus condidit in ſui utilitatem. Sed quam latam, & ſpatioſam viam patefacis ad æternam ruinam? Hinc enim ſequatur neceſſe eſt poſſe quemlibet etiam, in Lege naturali ſecummet diſpenſare, ut eſt Lex de non mentiendo, de non pejerando, de non colendo Deos alienos, de non negando vero Deo, de non injuriis afficiendo, vel odio habendo Deum. Etenim Leges iſtæ ad utilitatem hominis latæ ſunt; accidere autem poteſt, quod olim ſæpe numero accidit, ut quis negando, & Idola colendo poſſit mortem ſibi à Tyranno intentam effugere. Quare juxta enormem iſtam Queſnelli propoſitionem poſſet aliquis ob ſui conſervationem in hiſce Legibus ſecummet diſpenſare, in quibus nec Deus ipſe poteſt. Potuiſſet prætereà juxta Queſnellum citra culpam, ac licite Suſanna ob ſui conſervationem in adulterium cum ſenioribus illis conſentire. O' turpiſſimam Queſnelli ſententiam, vel ut melius dicam errorem plane ſpurciſſimum? quem vel memorare piget, nedum de induſtria oppugnare.

Sanctus demum Thomas Queſnellum reſſellit in eam Sententiam: *& ideò præcepta* (*a*) *Decalogi ſunt omnino indiſpenſabilia.*

PRO-

(a) 1. 2. *Qu.*100. *art.*8.

PROPOSITIO LXXII.

Nota Eccleſię Chriſtianæ eſt quòd ſit Catholica comprehendens, & omnes Angelos Cœli, & omnes Electos, & Juſtos terræ, & omnium ſæculorum.

Queſnell. Heb. 12. 22. 23. 24. *edit.* 1693. & 1699.

PROPOSITIO LXXIII.

Quid eſt Eccleſia, niſi cætus Filiorum Dei manentium in ejus ſinu adoptatorum in Chriſto, ſubſiſtentium in ejus perſona, Redemptorum ejus Sanguine, viventium ejus ſpiritu, agentium per ejus gratiam, & expectantium gratiam futuri Sæculi?

Queſnellus 2. *Theſſal.* 1. 2. *editione* 1693.

PROPOSITIO LXXIV.

Eccleſia, ſive integer Chriſtus, incarnatum Verbum habet, ut caput, omnes verò Sanctos ut membra.

Queſnellus 1. *Timoth.* 3. 16. *editione* 1693. & 1699.

PRO-

PROPOSITIO LXXV.

Eccleſia eſt unus ſolus Homo compoſitus ex pluribus membris, quorum Chriſtus eſt caput, vita, ſubſiſtentia, & perſona, unus ſolus Chriſtus compoſitus ex pluribus Sanctis, quorum eſt Sanctificator.

Queſnellus Epheſ. 2. 14. *edition.* 1693. & 1699.

PROPOSITIO LXXVI.

Nihil ſpatioſius Eccleſia Dei, quia omnes Electi, & Juſti omnium Sæculorum illam componunt.

Queſnellus Eph. 2. 22. *editione* 1693. & 1699.

PROPOSITIO LXXVII.

Qui non ducit vitam dignam Filio Dei, & membro Chriſti ceſſat interius habere Deum pro Patre, & Chriſtum pro capite.

Queſnellus 1. *Joan.* 2. 22. *editione* 1693.

PRO-

PROPOSITIO LXXVIII.

Separatur quis à populo Electo, cujus figura fuit populus Judaicus, & caput eſt Jeſus Chriſtus, tam non vivendo ſecundum Evangelium, quàm non credendo Evangelio.

Queſnellus Act. 3. 23. *edit.* 1693. *&* 1699.

PRopoſitiones iſtas Queſnellianas jam dudum ſeſſione 15. Generalis Conſtantienſis Synodus in hæretico Joanne Hus damnaverat. Damnavit hunc artic. 1. Joannis Hus: *Unica eſt Sancta univerſalis Eccleſia, quę eſt prædeſtinatorum univerſitas &c., & univerſalis Sancta Eccleſia tantum eſt una, ſicut tantum eſt numerus omnium prædeſtinatorum;* Et articulum 3. *Præſciti non ſunt partes Eccleſiæ, cum nulla pars ejus ab eâ finaliter excidet, eo quod prædeſtinationis charitas, quæ ipſam ligat, non excidit;* Et articulum 5. *Præſcitus, etſi aliquando ſit in gratia ſecundum præſentem juſtitiam, tamen nunquam eſt pars Sanctæ Eccleſiæ, & prædeſtinatus ſemper manet membrum Eccleſiæ, licet aliquando excidat à gratia adventitia, ſed non à gratia prædeſtinationis.*

Quod vos Queſnelliani, tanti facitis, idem ſane Baſileenſe generale Concilium ſeſſione 22. Queſnellum reprobat in damnanda iſta Propoſitione libelli fratris Auguſtini de Roma Archiepiſcopi Nazareni: *Non omnes fideles juſtificati, ſunt membra Chriſti, ſed ſoli electi finaliter in perpetuum regnaturi cum Chriſto*, & iſta: *ſecundum ineffabilem præſcientiam Dei, ſumuntur membra Chriſti, ex quibus conſtat Eccleſia, quæ tamen non conſtat, niſi ex eis, qui ſecundum propoſitum electionis vocati ſunt.*

Operæ

Operæ autem pretium eſt animadvertere Baſileenſe Concilium (quod ad hæc decreta pertinet) à Sede Apoſtolica confirmatum, probatumque fuiſſe, ne quid loci ſophiſtarum cavillationibus relinquatur.

Huc accedit Senonenſe Provinciale Concilium, quod Decreto 17. inter cæteras hæreſes, hanc etiam refert, atque proſcribit: *Eccleſia non conſtat, niſi ex bonis*: ergo duo Concilia generalia Conſtantienſe, ac Baſileenſe, & Provincialis Synodus Senonenſis Queſnellum apertè damnant.

Verum enim verò altius memoriam temporum repetamus à Pelagianis Hæreticis, qui temerè deblaterabant Eccleſiam eſſe multitudinem hominum perfectorum nullum peccatum habentium, ut S. Auguſtinus refert lib. de hæreſibus cap. 88., *in id etiam* (inquit) *progrediuntur, ut dicant vitam juſtorum in hoc ſæculo nullum omninò habere peccatum, & ex his Eccleſiam Chriſti in hac mortalitate perfici*.

In eundem ſane Pelagianorum errorem turpiter Queſnellus prolabitur, quòd afferat, eum, qui non ducit vitam dignam filio Dei, & membro Chriſti, ceſſare interius habere Deum pro Patre, & Chriſtum pro capite; quodque addat *ſeparari aliquem à populo electo, cujus figura fuit Populus Judaicus, & caput eſt Jeſus Chriſtus, tam non vivendo ſecundum Evangelium, quàm non credendo Evangelio*.

Cum enim Queſnellus in Propoſitione LXXII. dicat notam Eccleſiæ Chriſtianæ hanc eſſe, ut juſtos terræ comprehendat, & in Propoſitione LXXIII. affirmet Eccleſiam Dei nihil aliud eſſe, niſi cętum filiorum Dei viventium ejus ſpiritu, & agentium per ejus gratiam, & in Propoſitione LXXIV. dicat Eccleſiam habere omnes ſanctos ut membra; & in Propoſitione LXXVI. affirmet Eccleſiam Dei componi juſtis: manifeſtò in errorem Pelagianorum abripitur effutientium Eccleſiam Chriſti ex ſanctis, juſtis, perfectiſque conſtare.

Ab antiquis Hæreticis Pelagianis, ad recentiorem Calvinum orationem converto: qui quidem Eccleſiam conſtare

ex

ex ſolis juſtis prædeſtinatis deblaterat lib. 4. inſtitutionum cap. 1. Cum quo Queſnellus in Propoſitionibus, quas ſupra memoravimus conſentit. Nam in Propoſitione LXXII. dicit Queſnellus notam Eccleſiæ Chriſtianæ eſſe quod comprehendat, & omnes Angelos Cœli, & omnes electos, & juſtos terræ, & in Propoſitione LXXIII. affirmat nihil aliud eſſe Eccleſiam niſi cętum filiorum Dei viventium ejus ſpiritu, agentium per ejus gratiam; & in Propoſitione LXXVII., ut omiſſas reliquas faciam, quæ quidem in idem recidunt, affirmat eum qui non ducit vitam dignam filio Dei, & membro Chriſti, ceſſare interius habere Chriſtum pro capite &c. quæ certè idem prorſus ſignificant, quod propoſitio Calvini affirmans *Eccleſiam conſtare ex ſolis prædeſtinatis*. Quamobrem optimo jure Queſnellus utpotè in hac cauſa Calvini aſſecla, ac Diſcipulus eadem ratione damnandus eſt.

Demonſtratur etiam eadem veritas contra Queſnellum, antiquiſſimo, graviſſimoque teſtimonio, & auctoritate Orthodoxæ Eccleſiæ, quæ florebat Beati Auguſtini temporibus, qui quidem in breviculo collationum refert collationem celeberrimam Chartagine habitam inter Epiſcopos Catholicos, quorum unus ipſe erat, & Epiſcopos donatiſtas; tradit Auguſtinus in collatione primæ diei, deindè in collatione tertiæ diei refert donatiſtas coactos fateri eſſe in Eccleſia bonos, & malos, poſteaquam Catholici in medium protuliſſent parabolam illam de rete piſces bonos, & malos congregante: ſed dixiſſe adhuc donatiſtas, tantum occultos malos eſſe in Eccleſia; ſicut in rete, dum eſt in mari non diſcernuntur à Piſcatoribus piſces boni à malis, ſed in littore diſcernuntur à Piſcatoribus, ac deindè ſeparantur: ad hoc autem dicit reſpondiſſe Catholicos propterea Eccleſiam comparatam etiam eſſe areæ, in qua diſcernuntur paleæ à frumento, imo magis apparent paleæ, quam frumenta, & inſuper Arcæ Noe, in qua poſt egreſſum etiam Corvi, quo ſignificantur Hæretici; animalia munda adhuc, & immunda

da remanſerunt. Addit idem Auguſtinus, cum donatiſtæ Orthodoxos calumniarentur duas Eccleſias facere, unam in terris, quæ bonos, & malos haberet, alteram in Cœlis, quæ non niſi bonos haberet; Catholicos reſpondiſſe ſe ſe non duas Eccleſias facere, ſed diſtinguere duo tempora Eccleſiæ: *eandem* (refert Auguſtinus) *ipſam unam, & Sanctam Eccleſiam dixerunt nunc eſſe aliter, tunc aliter futuram, nunc habere malos mixtos, tunc non habituram: ſicut non ideò duo Chriſti ſunt, quia aliquando mortalis, aliquando immortalis fuerit Chriſtus*.

Teſtimoniis Sacrarum Scripturarum Queſnellus manifeſtò refellitur. Beatus enim Joannes Apocalypſ. 2. & 3. ſcribit ſeptem Eccleſiis Aſiæ, & ſingulas fere de rebus non levibus arguit, & ut D. Auguſtinus contra Parmenianum lib. 2. cap. 10. notat, non ſolum Eccleſias, ſed etiam præpoſitum reprehendit ſignificatum per Angelum Sardenſis Eccleſiæ: *Nomen* (inquit) *habes quod vivas, ſed mortuus es: eſto vigilans &c.*

Præterea tempore veteris Teſtamenti nunquam defuerunt graviſſima peccata in Populo Dei, & tamen nuſquam Moyſes, aut Samuel, aut alii Prophetæ, qui diverſis temporibus floruerunt, aut Maria, Anna, Eliſabeth, Simeon, Zacharias, Joannes Baptiſta, & alii juſti, ſeparaverunt ſe à reliquis peſſimis hominibus, quod ſpectat ad Templum, Altare, Sacrificia, & alia quæ Religionis ſunt. Ergo in eadem Eccleſia manebant boni, & mali. Quod quidem argumentum valdè urget, & merito S. Auguſtinus in breviculo tertiæ collationis.

Accedunt denique rationes contra Queſnellum, atque Calvinum Queſnelli hac in re Præceptorem. Nam ſi ſola prædeſtinatio è Queſnelli atque Calvini ſententia præſtat ut homo ſit de Eccleſia; ſequatur neceſſe eſt aliquos Turcas, Judæos, atque Paganos, qui nondum Orthodoxam fidem, ſed tamen aliquando ſunt profeſſuri, ſi prædeſtinati ſint;

nunc

nunc eſſe de Eccleſia: contra vero quoſdam ſanctos nunc viventes, & pios baptiſmate inſignitos, ſi non ſint prædeſtinati, non eſſe nunc de Eccleſia, nec de myſtico Corpore Chriſti. At utrumque manifeſto falſum eſt, clariſque Scripturæ Sacræ teſtimoniis, & auctoritati contrarium.

Nam infideles, qui nequaquam ſunt Baptiſmo luſtrati, non eſſe de Eccleſia patet, cum de infidelibus non Baptiſmo luſtratis ſine controverſia Paulus loquitur prima ad Corinth. *quid enim mihi de iis, qui foris ſunt, judicare?* Ubi generatim eos omnes foris eſſe dicit, qui ſua nomina per Baptiſma minime Chriſto dederunt, ſed falſas, pernicioſaſque ſectas colunt. Idemque Concilium generale Florentinum in Armenorum Inſtructione docet homines fieri membra Chriſti, ac de corpore Eccleſiæ, cùm Baptiſmate decorantur; id ipſum unanimes Sancti Patres docent.

Quod autem babtizati, licet reprobi, ſint de Eccleſia Dei, & corpore myſtico Chriſti per fidem, cujus non fecerint naufragium patet cap.3. ad Galatas: *omnes enim Filii Dei eſtis per fidem in Chriſto Jeſu. Quicumque enim in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis,* & prima ad Corinthios: *Omnes nos uno Spiritu in unum Corpus baptizati ſumus.* Et tamen nequaquam credibile eſt omnes Galatas, & Corinthios, electos, prædeſtinatoſque fuiſſe.

Probatur adhuc eadem veritas contra Queſnellum, atque Calvinum ex abſurdis, & incommodis, quæ ſequi neceſſe foret. Nam ſi ſoli Prædeſtinati eſſent de Eccleſia; omnia prorſus incerta labeſcerent; quod tunc nec Paſtores ſuos agnoſcerent; cum nemo unus cognoverit quinam ſint Prædeſtinati, imo nullus profectò ſciret quæ ſint veræ Scripturæ, quæ vera Sacramenta, quæ vera Fides; cum hæc omnia ex teſtimonio veræ Eccleſiæ viſibilis, quæ eſt columna, & firmamentum veritatis, pendeant.

Præterea ſi ſoli boni eſſent in Eccleſia, ut Queſnellus ait; fruſtra eſſet Sacramentum Pœnitentiæ, quod ſolis illis adminiſtra-

niſtratur, qui ſunt de Eccleſia. Incertum eſt enim qui ſint re vera boni, & qui non ſint. Item ſtatim, ac Epiſcopi in aliquod grave ſcelus, quod tamen infidelitatis non eſſet, prolaberentur, atque defluerent; non eſſent amplius de Eccleſia, nec Epiſcopi, ac proinde non oporteret eis amplius obedire; & ſimiliter Chriſtianæ Oves ſtatim, ac peccarent, non eſſent amplius de Grege, ideoque liceret Paſtoribus curam earum deſerere, nullamque ipſarum rationem habere. Ex quo ſane turpiſſima confuſio, ac perturbatio conſequeretur. Hactenus itaque bene juvante Deo Conciliorum Sacrarumque Scripturarum clariſſimis teſtimoniis, nec non vetuſta Eccleſiæ traditione, ac firmis Theologicis rationibus Queſnellum, Calvinum, & Joannem Hus convicimus, & elingues reddidimus, cum oſtenderimus non ſolos Prædeſtinatos, & Sanctos, ſed etiam Reprobos, & malos Catholicos ad Eccleſiam pertinere.

PROPOSITIO LXXIX.

Utile, ac neceſſarium eſt omni tempore, omni loco, & omni perſonarum generi ſtudere, & cognoſcere ſpiritum, pietatem, & myſteria Sacræ Scripturæ.

Queſnellus 1. *Cor.* 14. 15. *edit.* 1693. & 1699.

PROPOSITIO LXXX.

Lectio Sacræ Scripturæ eſt pro omnibus.

Queſnellus Act. 8. 28. *edit.* 1693. & 1699.

PROPOSITIO LXXXI.

Obſcuritas ſancta Verbi Dei non eſt Laicis ratio diſpenſandi ſe ipſos ab ejus lectione.

Queſnellus Act. 8. 31. *editione* 1693. & 1699.

PRO-

PROPOSITIO LXXXII.

Dies Dominicus à Chriſtianis debet ſanctificari lectionibus pietatis, & ſuper omnia Sanctarum Scripturarum; damnoſum eſt velle Chriſtianum ab hac lectione retrahere.

Queſnellus Act. 15. 21. *edition.* 1693. & 1699.

PROPOSITIO LXXXIII.

Eſt illuſio ſibi perſuadere, quòd notitia myſteriorum Religionis non debeat communicari fœminis lectione Sacrorum Librorum: non ex fœminarum ſimplicitate, ſed ex ſuperba virorum ſcientia ortus eſt ſcripturarum abuſus, & natæ ſunt hæreſes.

Queſnellus Joan. 4. 26. *editione* 1693. & 1699.

PROPOSITIO LXXXIV.

Abripere Chriſtianorum manibus novum Teſtamentum, ſive eis illud clauſum tenere, auferendo eis modum illud intelligendi, eſt illis Chriſtianis os obturare.

Queſnellus Matth. 5. 2. *edition.* 1693. & 1699.

PROPOSITIO LXXXV.

Interdicere Chriſtianis lectionem Sacræ Scripturæ, præſertim Evangelii, eſt interdicere uſum luminis Filiis lucis, & facere ut patiantur ſpeciem quandam excommunicationis.

Queſnellus Luc. 11. 33. *edition.* 1693.

PROPOSITIO LXXXVI.

Eripere ſimplici Populo hoc ſolatium jungendi vocem ſuam voci totius Eccleſiæ, eſſet uſus contrarius praxi Apoſtolicæ, & inſtitutioni Dei.

Queſnellus 1. *Cor.* 14. 16. *edition.* 1693. & 1699.

SIcut plures alios errores ſuos Queſnellus ab Hæreticis hauſit, & expreſſit; ita etiam hoſce, quos refellendos aggredior, ab hæretico Calvino didicit, & ex ejuſdem lib. 3. Inſtitutionum cap. 20. doctus eſt. Et ſane omnes hæretici hujus temporis cum Calvino, & cum Queſnello conveniunt in hoc, ut oporteat Sacras Scripturas omnibus concedere, imo tradere in ſua lingua; dum palam leguntur, vel cantantur, & in ſacris Officiis id quoque lingua propria, & materna fieri: Catholica verò Eccleſia prohibet, ne paſſim omnibus ſine diſcrimine hujuſmodi lectio concedatur, neve in publico, & communi uſu Eccleſiæ Scripturæ legantur,

vel

vel canantur vulgaribus linguis. Imo verò etiam Tridentina Synodus œcumenica ſeſſion.22. cap. 8. prohibet, ne Miſſæ vulgari lingua paſſim celebrentur: *& ſi* (inquit Synodus) *Miſſa, magnam contineat Populi fidelis eruditionem; non tamen expedire viſum eſt Patribus,ut vulgari paſſim lingua celebraretur. Quamobrem retento ubique cujuſque Eccleſiæ antiquo, & à Sancta Romana Eccleſia omnium Eccleſiarum Matre, & Magiſtra, probato ritu, ne oves Chriſti eſuriant, neve parvuli panem petant, & non ſit qui frangat eis; Mandat Sancta Synodus Paſtoribus, & ſingulis curam animarum gerentibus, ut frequenter inter Miſſarum celebrationem, vel per ſe, vel per alios ex iis, quæ in Miſſa leguntur, aliquid exponant; atque inter cætera Sanctiſſimi hujus Sacrificii myſterium aliquod declarent, diebus præſertim Dominicis, & Feſtis.*

Damnat præterea ipſamet Tridentina Synodus eos, qui cum Queſnello conſpirant, atque conſentiunt, elata voce Canonem Miſſæ recitandum eſſe, ſicut etiam elata voce verba conſecrationis eſſe proferenda, & Miſſam vernacula tantùm lingua paſſim eſſe celebrandam, ut poſſit populus voci totius Eccleſiæ ſuam vocem conjungere; perinde ac ſi ritus Eccleſiæ in hac re fini, & Inſtitutioni Chriſti repugnent. En verba Concilii Tridentini ſeſſion. 22. canon. 9. *ſi quis dixerit Eccleſiæ Romanæ ritum, quo ſubmiſſa voce pars canonis, & verba conſecrationis proferuntur, damnandum eſſe, aut lingua tantum vulgari Miſſam celebrari debere, anathema ſit.*

Concilium Toloſanum anno 1229. celebratum Anteſignanos Queſnelli, eundemque Queſnellum damnat in eam ſententiam: *Prohibemus etiam* (a) *ne libros veteris, & novi Teſtamenti Laicis permittatur habere, niſi forte Pſalterium, ſive Breviarium pro Divinis Officiis, ſed, ne præmiſſos Libros habeant in vulgari translatos, arctiſſime inhibemus.*

Concilium itaque Toloſanum ob Albigenſium hæreſim hac fuit uſum auctoritate, & ejus exemplum imitata ſunt

(a) *Canon.14. tom.11. Concilii Labbè.*

Concilia Narbonenſe, Cameracenſe, ac Burdigalenſe, dum naſci, ac ſerpere cœpit hæreſis Calvini, atque hoc modo nobis argumenta ineluctabilia hujuſmodi poteſtatis Eccleſiaſticę ſuppeditarunt.

Ad hæc ſi vulgari, ac materna lingua apud omnes in Divinis Officiis legerentur Scripturæ; earum translationes deberent ſingulis fere ætatibus variari; cum paſſim magna ex parte ſingulis ſæculis linguæ vulgares varientur; in tanta verò varietate translationum, quàm plures facile errores, & quidem turpes irreperent, quin poſſent facile emendari; cum nequeant Pontifices, vel Concilia de tot linguis, etiam poſt plurimos ſuſceptos labores, dijudicare.

Rurſus hujuſmodi propoſitiones ſunt temerariæ; quippe quæ audeant uſus Eccleſiæ univerſalis, quæ eſt columna, & firmamentum Veritatis, reprehendere: ſunt injurioſæ Catholicæ Eccleſiæ, atque falſæ; quippe quæ contrariam doctrinam Eccleſiæ, adverſus quam pollicente Domino portæ Inferi prævalere non poſſunt, in vulgus jactent.

Magnus hoc loco Auguſtinus Queſnellum inſaniæ arguit, quòd diſputet contra id, quod tenet univerſalis Eccleſia. En verba Auguſtini: *Contra id, quod univerſa Eccleſia* (*a*) *facit, diſputare, inſolentiſſimæ inſaniæ eſt.*

His omnibus accedit graviſſimus Cumulus Patrum, Baſilii, & Hieronymi, qui certe quidem minime ſentiebant ab omnibus ſine delectu indiſcriminatim ſcripturas eſſe tractandas, licet id non poſſet eo tempore facile impediri, cum græca, ac latina lingua, quibuſdam populis adhuc vulgares eſſent. Memorię quippe prodit Theodoretus lib. 4. Hiſtor. cap. 17. cum præfectus Culinæ Imperatoris neſcio quid de Scripturis protuliſſet, eum à magno Baſilio reprehenſum audiviſſe. *Tuum eſt de pulmentis cogitare, non dogmata divina decoquere.*

Quid autem, quæſo, nunc diceret S. Baſilius, ſi Pharmacopolas,

(a) *Epiſtol.* 118.

polas, Sutores, Tonſores, Lanios, Cupedinarios, Cetarios, Coquos, & Lanificos audiret Sacras Scripturas quotidie apud Lutheranos, & Calviniſtas tractantes? Sanctus verò Hieronymus in epiſtola ad Paulinum de Studio ſcripturarum: *Quod medicorum eſt* (inquit) *promittunt medici; tractant fabrilia Fabri, ſola ſcripturarum ars eſt, quam ſibi paſſim omnes vindicant. Scribimus indocti, doctique poemata paſſim, hanc garrula anus, hanc delirus ſenex, hanc ſophiſta verboſus, hanc univerſi præſumunt, lacerant, docent, antequam diſcant.*

Hæc ſane Hieronymi graviſſima, juſtiſſimaque querela belle caderet in Hollandiam, atque Angliam, in que Regiones cunctas, ubi omnes opifices etiam viliſſimi, nec ſolum homunciones, ſed etiam fœmellæ ſcripturas habent præmanibus, & ex earum lectione ad imperitiam ſuam, pertinaciam quoque, & arrogantiam ſolent adjungere, quod magnopere Queſnello placere videtur, quippè qui audeat per ſummam petulantiam in ſacroſanctos uſus, præcepta, regulas, & immaculatas conſuetudines univerſæ Eccleſiæ detonare. Sanctus quoque Thomas apertè Queſnellum refellit in eam Sententiam: *dicendum* (1. 2. q.101. artic.2. ad 1.) *quod divina non ſunt revelanda hominibus, niſi ſecundum eorum capacitatem; alioquin daretur eis præcipitii materia, dum contemnerent, quæ capere non poſſent.*

Hoc dilemmate demum omnes iſtæ propoſitiones, quas coacervatim refellimus, corruunt, cujus hæc eſt ſententia: Aut Queſnellus in hiſce propoſitionibus ſuis turpiter errat, ut certè errat: aut errat Eccleſia, quæ non permittit paſſim vernaculam ſacrorum Bibliorum editionem, ut poſſint omnes ſine diſcrimine, rudes etiam fœminæ, & vetulæ, Coqui, Lanii, ac Lanifici ea legere, ut placet Queſnello. Sed Chriſti Eccleſia Spiritu veritatis afflata, & illuſtrata non poteſt errare, quia eſt columna juxta Beatum Paulum, ac firmamentum veritatis. Ergo errat Queſnellus privato ſpiritu de-

ceptus, & adductus ad erigendam cervicem contra Chriſti Eccleſiam, cui deberet caput ſubmittere.

PROPOSITIO LXXXVII.

Modus plenus ſapientia, lumine, & charitate, eſt dare animabus tempus portandi cum humilitate, & ſentiendi ſtatum peccati, petendi ſpiritum pœnitentiæ, & contritionis, & incipiendi ad minus ſatisfacere Juſtitiæ Dei, antequam reconcilientur.

Quesnellus Act. 9. 9. editione 1693. *&* 1699.

PROPOSITIO LXXXVIII.

Ignoramus quid ſit peccatum, & vera pœnitentia, quando volumus ſtatim reſtitui poſſeſſionem bonorum illorum, quibus nos peccatum ſpoliavit, & detrectamus ſeperationis iſtius ferre confuſionem.

Queſnellus Lucæ 17. 11. *&* 12. *editione* 1693. *&* 1699.

DUm Queſnellus affirmat modum plenum ſapientia, lumine, & charitate, eſſe, dare animabus tempus portandi cum humilitate, & ſentiendi ſtatum peccati; contradicit

dicit Spiritui Sancto, qui per Eccleſiaſtem peccatori dat id conſilii: *Non tardes converti (a) ad Dominum, & ne differas de die in diem. Subito enim veniet ira illius, & in tempore vindicta diſperdet te.* Refragatur Queſnellus pleno, & univerſali Sanctorum Patrum conſenſui, perennique doctrinæ, qui vehementer hortantur peccatorem, ut quam citiſſime criminum ſordes abſtergat. Audi Queſnelle, & erubeſce, magnum Auguſtinum, qui hanc Eccleſiaſtici ſententiam: *Ne tardes converti ad Deum*, ita egregie interpretatur, ut inter alia cauſam ejus reddens, pronunciet. *Audivimus fratres per Prophetam dicentem Deum: ne tardes converti (b) ad Deum, neque differas de die in diem: ſubito enim veniet ira ejus, & in tempore vindicta diſperdet Te. Promiſit enim tibi, quoniam quo die converſus fueris, obliviſcitur mala tua præterita: ſed nunquam vitam craſtini diei promiſit tibi; An forte non tibi illam promiſit Deus, & promiſit illam tibi mathematicus; ut damnet Te, & illum Deus? Diem mortis incertum ſalubriter conſtituit Deus, ultimum ſuum quiſque ſalubriter cogitet. Miſericordia Dei eſt, quia neſcit homo, quando moriatur. Latet ultimus dies, ut obſerventur omnes dies.*

Sanctus Gregorius homilia 12. in Evangelia, inquit: *qui pœnitenti veniam ſpopondit, peccanti diem craſtinum non promiſit.*

Quo circa Pſaltes Pſalmo 94. ita hortatur Peccatores ad pœnitentiam ſubitam: *Hodie ſi vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda veſtra.*

Hinc Sanctus Fulgentius inquit: *nullus hominum debet ſub ſpe miſericordiæ Dei in ſuis diutius remanere peccatis, cum etiam in ipſo corpore nemo velit ſub ſpe futuræ ſalutis diutius ægrotare. Tales enim qui ab iniquitatibus ſuis recedere negligunt, & ſibi de eo indulgentiam repromittunt, non nunquam ita præveniuntur repentino Dei furore, ut nec converſionis tempus, nec beneficium remiſſionis inveniant.*

Magnus Baſilius admonitione ad filium ſpiritualem ita loqui-

(a) *Eccleſiaſt. cap. 5.* (b) *Homilia 13. inter. 50.*

loquitur : ***Quando te peccato obnoxium ſenſeris, ad pœnitentiam*** *cito converti ne confundaris. Quem enim hìc pęnituerit, in noviſſimo non pœnitebit. Clementer enim Dominus ad pęnitentiam confugientes ſuſcipit &c. Nolis hìc cogitare, cum neſcias qua die moriturus ſis: Quis enim hominum novit diem exitus ſui? &c. Sed ne cuncteris ad pœnitentiam converti: ſemper ante oculos tuos verſetur ultimus dies: cum enim diluculo ſurrexeris, ad veſperum te ambigas pervenire, & cum in lectulum ad quieſcendum membra tua poſueris, noli confidere de lucis adventu.* Sanctus Joannes Chryſoſtomus homilia 22. in Epiſtolam 2. ad Corinthios inquit: *Ne moreris converti ad Dominum, & ne differas de die in diem; neſcis quid paritura ſit ſuperventura dies: periculum enim, & metus eſt in differendo: ſalus vero certa, & ſecura, ſi nulla ſit dilatio. Ne dicas, erit aliquando tempus, quando converti licebit: Verba enim hæc Deum valde exaſperant.*

Hactenus (ut vidimus) Queſnelli propoſitiones iſtæ cum univerſali Sanctorum Patrum conſenſu, & Eccleſiæ Catholicæ uſu perpetuo pugnant: nunc verò ita tecum Queſnelle diſputo. Tu enim in Propoſitione LXXXVII. dicis, *eſſe modum plenum ſapientia, lumine, & charitate, dare animabus tempus portandi cum humilitate, & ſentiendi ſtatum peccati, & incipiendi ad minus ſatisfacere Juſtitia Dei, antequam reconcilientur*: & in Propoſitione LXXXVIII. affirmas, *ignorare nos, quid ſit peccatum, & vera pœnitentia, quando volumus ſtatim reſtitui poſſeſſionem bonorum illorum, quibus nos peccatum ſpoliavit, & detrectamus iſtius ſeparationis ferre confuſionem.*

Quæro itaque abs te Queſnelle: ſi graviter tu peccares, & differres pęnitentiam, & converſionem, & reconciliationem cum Deo, *ut dares* (juxta tuam Sententiam) *animæ tuæ tempus ſentiendi ſtatum peccati, & indignationis Dei*; quid? ſi in hujuſmodi ſtatu peccati, antequam Deo reconciliareris, inopinata morte occumberes; Certè ad Tartara æternis pęnis mactandus deſcenderes. Diceres ne tunc apud in-

feros

ſeros *eſſe modum plenum ſapientia, lumine, & charitate, dare tempus anima tua portandi cum humilitate, & ſentiendi ſtatum peccati?* Nonne tunc, & peccati ſtatum, & peccati pęnam ſentires? Nequaquam profectò in Inferno diceres nos *ignorare quid ſit peccatum, & vera pœnitentia, quando volumus ſtatim reſtitui poſſeſſionem bonorum illorum, quibus nos peccatum ſpoliavit;* ſed potiùs erroris tui, ac diabolicæ illuſionis non immemor, fruſtra quidem dolore tabeſceres, atque fremeres, quod diſtuleris pęnitentiam, converſionem, & reconciliationem cum Deo; cum poſſes ſtatim converti, & ad poſſeſſionem illorum bonorum æternæ fęlicitatis, quibus te peccatum ſpoliavit, reſtitui.

Præterea demonſtratur earundem propoſitionum falſitas, quia dilatio pęnitentiæ, & reconciliationis cum Deo ſuapte natura inclinat ad nova peccata patranda, tum ob auxiliorum Dei uberiorum privationem, quæ Peccator *demeretur*: tum propter habitum, quem peccator ex pravis actibus prioribus nondum retractatis contraxit, & auget; tum demum ob dæmonis vehementes aſſultus, cujus ſervile jugum miſere ſuſtinet. Huc belle cadit Magni Gregorii aurea Sententia illa: *Peccatum (a) quod per pœnitentiam non deletur, ſuo pondere trahit ad aliud.*

Recte quidem, atque cum laude Confeſſarius abſolutionem aliquando differt, ut de pęnitentis diſpoſitione, ac emendatione certior fiat; præclare facit, ſi doctrinam ſequatur Cleri Romani ad Sanctum Cyprianum ſcribentis, atque docentis in adminiſtratione Sacramenti Pęnitentiæ, *ſic eſſe agendum, ut nec pronam noſtram improbi homines laudent facilitatem, nec verè pęnitentes accuſent noſtram, quaſi duram crudelitatem (b):* ſapienter agit, cum adamuſſim Innocentii XI. Summi Pontificis decretum, ac regulam ſervet, *ut pęnitenti habenti conſuetudinem peccandi contra Legem Dei, naturæ, aut Eccleſiæ, ſi emendationis ſpes nulla appareat, ſed ore pro-*

(a) *Homil. 11. in Ezechielem.* (b) *Tom. 1. Concil. Lab. pag. 663.*

proferat ſe dolere, ac proponere emendationem; neget, ac differat abſolutionem : nunquam tamen bene facit Peccator, quod contritionem, converſionem, & reconciliationem cum Deo differat eo fine, ut ſtatum peccati ſentiat, & incipiat iratæ Dei juſtitiæ ſatisfacere, priuſquam reconcilietur.

Cave autem putes Queſnellum nolle quidem, ut differatur reconciliatio cum Deo per contritionem, ſed ſolum ut differatur per Sacramentalem Abſolutionem. Cum enim in prima ex his duabus propoſitionibus Queſnellus dicat *modum plenum ſapientia, lumine, & charitate eſſe, dare animabus tempus portandi, & ſentiendi ſtatum peccati*, & in altera dicat, *ex ignoratione peccati, vereque pœnitentiæ ſequi quod velimus ſtatim reſtitui poſſeſſioni bonorum illorum, quibus nos peccatum ſpoliavit*:

Satis compertum eſt Queſnellum velle, atque contendere, ut Peccator differre debeat contritionem quoque; quæ à ſtatu peccati Peccatorem liberat, & poſſeſſioni bonorum, quibus illum peccatum ſpoliavit, reſtituit.

Jam verò vide Queſnelle mi, quanti te faccio, ut conſilium ceperim te auctoritate tua refellere. Meminiſti enim, credo, Propoſitionem LVIII. tuam ita ſe habere; *nec Deus eſt, nec Religio, ubi non eſt charitas*, ac proinde, juxta Te, qui ſine charitate eſt, ſine Deo, & ſine Religione eſt.

Sed *qui dat tempus animæ ſuæ portandi, & ſentiendi ſtatum peccati, & incipiendi ad minus ſatisfacere juſtitiæ Dei, antequam reconcilietur*; certè juxta te quoque ſine charitate eſt, cum charitas reconciliet. Ergo juxta te *ſine Deo, ac ſine Religione eſt*. Cum autem Propoſitione LXXXVII. aſſeras *modum eſſe ſapientia, lumine, & charitate, dare animabus tempus portandi cum humilitate, & ſentiendi ſtatum peccati, & incipiendi ad minus ſatisfacere juſtitiæ Dei, antequam reconcilientur*. Ergo juxta Te eſt modus ſapientia, lumine, charitate plenus, eſſe *aliquandiu ſaltem ſine Deo, ac ſine Religione*. Qua blaſphemia quid turpius dici, aut excogitari poteſt?

Rurſus

Rurſus Propoſitione XLIV. aſſeris quidquid non ex amore Dei, qui omnia propter Deum agit, promanat, malum eſſe, & Propoſitione XLV. addis *non regnante amore Dei in corde Peccatoris, neceſſe eſſe omnes illius actiones carnali cupiditate corrumpi*. Cum autem modus, quo quis dat animæ ſuæ tempus portandi cum humilitate, ac ſentiendi ſtatum peccati, & incipiendi ad minus ſatisfacere iræ Dei, antequam reconcilietur; nequaquam ſit cum charitate conjunctus; Dum charitas per ſe ipſam reconciliat; ſequatur neceſſe eſt modum iſtum, quem Propoſitione tua LXXXVII. præſcribis, eſſe malum, novumque grave peccatum. Eſt ne, quæſo, modus plenus ſapientia, lumine, & charitate, novis peccatis gravibus, ac diutinis animam ſuam ad juſtificationem præparare? Eſt ne veræ pœnitentiæ gnarus, qui peccatis novis, ac ſero ſe ſe diſponit ad Divinam Miſericordiam implorandam?

PROPOSITIO LXXXIX.

Quartus decimus gradus converſionis Peccatoris eſt, quod cum ſit jam reconciliatus habet jus aſſiſtendi Sacrificio Eccleſiæ.

Queſnellus Luc. 15. 23. *editione* 1693.

Manifeſto hæc propoſitio Queſnelli tanquam falſa, & univerſali Eccleſiæ injurioſa refellitur: quia Eccleſia ſolos anathematis vinculis devinctos prohibet à ſacro audiendo, non autem cæteros peccatores Chriſtianos, imo verò etiam his præcipit ſacri auditionem diebus feſtis. Sin au-

autem propter gravem culpam jus amiſiſſet peccator interveniendi Sacrificio Miſſæ; Non ſecus, ac devinctus vinculis anathematis; ſequeretur profecto, ut Eccleſia præcipiendo ſacri auditionem, obligaret illum ad novum peccatum patrandum, ſicut ad novum peccatum patrandum Peccatorem obligaret Eccleſia, ſi præciperet illi, ut Sacram Euchariſtiam ſumat, dum eſt reus gravis culpæ, ob quam amiſit jus ad percipiendam Sanctiſſimam Euchariſtiam.

En ſumma Concluſionis: aut errat Queſnellus, qui peccatoribus quibuslibet negat jus ad ſacrum audiendum, aut errat univerſa Eccleſia, quæ peccatores ad audiendum ſacrum obligat. Sed univerſam Eccleſiam errare non poſſe fides docet. Ergo Queſnellum miſere aberrare ſatis compertum eſt.

Oppoſitio Queſnellianorum.

Opponunt nobis Queſnelliani Queſnellum hic non docere, quod Peccator per reconciliationem recuperet jus audiendi ſacrum, ſed ſolum docere quod Peccator reconciliatus aſſiſtat Sacrificio Eccleſiæ, ut habetur in Codice à Gallico latine verſo Pariſiis, & in lucem anno 1694. edito, indicando ſolum, quod poſt reconciliationem non ſit amplius indignus, qui ſacro interſit; nequaquam verò quod ante reconciliationem peccet, ſi Eccleſiæ Sacrificio interveniat.

Reſponſio.

Reſpondeo ex adjunctis patere per verba illa in Codice Queſnelli expreſſa illud ipſum indicari, quod in hac propoſitione diſertius explicatur, & in aliis editionibus ſcriptum extat, Peccatorem ſcilicet propter reconciliationem cum Deo habere jus ad audiendum ſacrum, atque ob eam cauſam ante reconciliationem iſtiuſmodi jure orbatum eſſe, ideoque peccare Miſſam audiendo. Mens enim Queſnelli aperitur, quia idem in Propoſitione LIX. aſſerit, *Orationem Peccatoris eſſe novum peccatum.* Ergo multo magis juxta Queſnellum eſſet novum peccatum auditio Miſſæ à Peccatore facta, quæ cum Oratione conjuncta, eſt actus Religionis

lon-

longè præſtantior ſine dubio ipſa ſola Oratione: Et in Propoſitione LXXVIII. contendit Peccatorem, æque, atque hæreticum, & vinculis anathematis devinctum eſſe extra Eccleſiam à communione Fidelium expulſum. Idcirco quemadmodum Hæreticus, & quilibet Canonicis Eccleſiæ cenſuris addictus ita dicitur poſt reconciliationem, & abſolutionem à cenſuris, ſacro intervenire, ut tunc ſolum habeat jus aſſiſtendi ſacro, &, ſi priùs aſſiſtit, peccet: ita è Queſnelli Sententia, doctrinaque Peccator reconciliatus aſſiſtit ſacro, quod per reconciliationem obtinet jus aſſiſtendi, quo prius carebat, ut proinde non ſine culpa prius interveniret. Hic autem error quàm abſurdus ſit, ſatis oſtenſum eſt: quo quidem loco temperare mihi nullo modo poſſum, quin palmaris audaciæ, temeritatiſque notam jure optimo Queſnello inuram; quippe qui contra totius Eccleſiæ Catholicæ per univerſum terrarum Orbem longe, lateque propagatæ univerſalem, antiquiſſimum, perpetuumque conſenſum audeat Peccatores quoslibet à ſacro etiam diebus feſtis audiendo cohibere, ad quod audiendum eoſdem ſemper Eccleſia obligavit, & obligat.

PROPOSITIO XC.

Eccleſia auctoritatem excommunicandi habet, ut eam exerceat per primos Paſtores de conſenſu ſaltem præſumpto totius corporis.

Queſnellus Matth. 18. 17. *edit.* 1693. & 1699.

SOlos Epiſcopos abſque ullo conſenſu præſumpto totius corporis habere, ac exercere poteſtatem excommunicandi, teſtantur Tridentina Generalis Synodus, & Concilium Toloſanum, quod tanti facit Eccleſia Gallicana. Synodus enim Generalis Tridentina veritatem hanc tam clare indicat, ut nihil loci cavillationibus relinquat, cum aſſerat: *Quapropter excommunicationes illæ, quæ monitionibus* (a) *præmiſſis ad finem revelationis, ut ajunt, aut pro deperditis, ſeu ſubtractis rebus ferri ſolent, à nemine prorſus, præter quam ab Epiſcopo decernantur, & tunc non alios, quam ex re non vulgari, cauſaque diligenter, ac magna maturitate per Epiſcopum examinata, quæ ejus animum moveat; nec ad eas concedendas cujuſvis ſæcularis, etiam Magiſtratus auctoritate adducatur; ſed totum hoc in ejus arbitrio, & conſcientia ſit poſitum, quod ipſe pro re, loco, perſona, aut tempore eas decernendas eſſe judicaverit.*

Concilium autem Toloſanum anno 1590. celebratum cap. 1. de excommunicatione ita ſuam ſententiam aperit. *Cum nemini in meſſem alienam, falcem jure mittere ſit conceſſum: ſciant ſæculares Magiſtratus ex Tridentina Synodi decreto ſibi nefas eſſe prohibere Eccleſiaſtico Judici, ne quem excommunicet, aut mandare, ut latam excommunicationem revocet ſub præ-*

(a) *Seſſ.* 25. *cap.* 3. *de excommunic.*

prætextu quod forma debita non fuerit obſervata, cum non ad Sæculares, ſed ad Eccleſiaſticos hac cognitio pertineat. Epiſcopis, eorumque & Vicariis, & Officialibus, ad quos ſolos hæc cauſarum pertinet cognitio, jubet eadem Synodus ſola æquitatis, juriſque ratione, nec alia quavis cauſa excommunicationes decernere, ſuſpendere, aut revocare; eum tamen in decernendis modum adhibeant, ne ſæpius iterata earum propoſitio, iis damnoſo Eccleſiaſticæ auctoritatis præjudicio contemptum afferre poſſit.

Audis ne Queſnelle? intelligis ne generalem Tridentinam Synodum, ipſumque graviſſimum Gallicanæ Eccleſiæ Concilium Toloſanum, quam luculenter prædicent à nemine prorſus, præterquam ab Epiſcopo excommunicationes decernendas, & ad ſolos Epiſcopos hanc cauſarum pertinere cognitionem?

Nonne horum Conciliorum auctoritate, ac teſtimoniis præclariſſimis ad terram defluit, & ad auras evaneſcit totius corporis præſumptus ille conſenſus, quem Tu vel vigilans ſomniare pergis? De Romano verò Summo Pontifice ipſamet Tridentina Synodus œcumenica ſeſſ. 14. de pœnitentia cap. 7. ita ſentit: *Magnopere verò ad Chriſtiani Populi diſciplinam pertinere Sanctiſſimis Patribus noſtris viſum eſt, ut atrociora quædam graviora crimina non à quibuſvis, ſed à Summis duntaxat Sacerdotibus abſolverentur. Unde merito Pontifices maximi pro ſuprema poteſtate ſibi in Eccleſia univerſa tradita cauſas aliquas criminum graviores ſuo potuerint judicio reſervare.*

Suprema verò poteſtas à præſumpto conſenſu totius Corporis pendere nullo modo poteſt.

Concilium œcumenicum Florentinum in ſua definitione hæc protulit. *Item definimus Sanctam Apoſtolicam Sedem, & Romanum Pontificem in univerſum Orbem tenere primatum, & ipſum Pontificem Romanum ſucceſſorem eſſe Beati Petri Principis Apoſtolorum, & verum Chriſti Vicarium, totiuſque Eccleſiæ caput, & omnium Chriſtianorum Patrem, ac Doctorem exiſtere, & ipſi*

in Beato Petro paſcendi, regendi, ac gubernandi univerſalem Eccleſiam à Domino Noſtro Jeſu Chriſto plenam poteſtatem traditam eſſe.

Cum igitur Romano Pontifici plena poteſtas paſcendi, regendi, ac gubernandi univerſalem Eccleſiam fuerit à Chriſto Domino tradita: nequaquam profectò univerſalis Paſtor ab Ovibus, ſed Oves ab ipſo Paſtore pendeant neceſſe eſt: Cum Papa plenam poteſtatem regendi univerſalem Eccleſiam à Chriſto Servatore noſtro acceperit; poteſtas autem plena regendi nequit ullo modo conſiſtere, ſed contemnitur, humique jacet, ac penitus interit ſine auctoritate coercendi, puniendi, & anathemate contumaces percellendi; ſequitur plane illico ut nulla prorſus ratione poſſit à præſumpto totius corporis conſenſu in excommunicando pendere; alioquin non plena regendi poteſtas, ut ſentit hæc Synodus œcumenica, Romano Pontifici à Chriſto Domino, ſed exigua tradita fuiſſet, ac diminuta.

Concilium Conſtantienſe generale ſeſſione 15. damnavit articulum 27. Joannis Hus, cujus hæc eſt Sententia: *Non eſt ſcintilla apparentia quòd oporteat eſſe unum caput in ſpiritualibus regens Eccleſiam, quod ſemper cum ipſa Eccleſia militante converſetur, & conſervetur.*

Sin autem Romanus Pontifex in anathematis jaciendis à præſumpto totius Corporis Eccleſiæ conſenſu penderet, nequaquam profectò unum foret caput, ſed multa capita, quæ Eccleſiam in ſpiritualibus regerent, quæ quidem prava opinio quam vehementer à Sententia tantorum Patrum abhorreat, nemo eſt quin intelligat.

A Patribus ſecundæ Synodi generalis Lugdunenſis recepta fuit, plenoque ore comprobata Profeſſio Fidei Orthodoxæ, quam Eccleſia Græca ita prædicavit: *Ipſa Sancta Romana Eccleſia ſummum, & plenum primatum, & principatum ſuper univerſam Eccleſiam Catholicam obtinet, quem ſe ab ipſo Domino in Beato Petro Apoſtolorum Principe, ſive verti-*

ce,

te, cujus Romanus Pontifex eſt Succeſſor, eam poteſtatis plenitudine recepiſſe veraciter, & humiliter recognoſcit.

Ecce tibi Queſnelle tum Eccleſiæ Gręcæ, tum Gallicanæ mira concordia. Utraque enim una, eademque mente, ac voce prædicat Romanum Pontificem *plenitudinem poteſtatis à Chriſto Domino recepiſſe.*

Plenitudo autem poteſtatis, & præſumptus totius Corporis Eccleſiæ conſenſus non bene conveniunt, nec in una ſede morantur.

In Concilio Florentino Epiſcopus Meldenſis nomine Regis Chriſtianiſſimi, & Gallicanæ Eccleſiæ ſupremam poteſtatem in uno ſuppoſito, Romano nempe Pontifice conſiſtere profeſſus eſt, & qui eam in Synodo œcumenica collocant, veſanos eſſe, & Catholicam unitatem labefactare. Sic enim idem Epiſcopus Meldenſis Princeps Legationis à Carolo VII. Rege Francorum ad Eugenium Papam miſſæ, ſui Regis, & Gallicanæ Eccleſiæ nomine inter alia locutus fuit: *Nimio fervore reſiſtendi ad hanc veſaniam devenerunt* (Baſileenſis Concilii Patres) *quòd ſupremam poteſtatem in uno ſuppoſito conſiſtere denegant: ſed eam in multitudine, quæ cito in diverſa ſcinditur, collocant; & ſic pulcherrimam Monarchiam Eccleſiæ, quæ Chriſtianos huc uſque tenuit in unitate fidei, in una profeſſione Religionis Chriſtianæ, in uno ritu Sacramentorum, in una obſervantia Mandatorum, in eiſdem ceremoniis divini cultus, atque pacem, & tranquillitatem aſſeruit,* (a) *nunc abolere, & ſupprimere contendunt, nobiliſſimam Politiam, quæ beatitudinem cæleſtem habet pro fine, ad Democratiam, vel Ariſtocratiam redigentes.*

Quod ſi Eccleſia Gallicana, quę tunc florebat, veſanos judicavit eos, qui ſupremam poteſtatem non in unò ſuppoſito, nempe Papà, ſed in Concilio generali collocant; multo magis tanquam veſanum coarguiſſet Queſnellum, qui poteſtatem Papæ in anathematis jaciendis, à conſenſu præſumpto totius Corporis pendere cenſet. Q 2 Quid?

(a) *Raynaldus ad Ann. M. C. D. XLI. num. 10. & Guaguin. in Carolo VII.*

Quid? quod eadem Eccleſia Gallicana, quæ tum vigebat, tribuit, ut modo memoratum eſt, ſoli Romano Pontifici Monarchiam. Conditio autem, naturaque, ac ratio Monarchicæ poteſtatis, præſumptum ſubjectorum conſenſum nullo modo patitur.

Sanctus Bernardus epiſtola 213. ad Papam ita ſcribit: *Quis mihi faciat juſtitiam de vobis? Si haberem Judicem, ad quem vos trahere poſſem, jam nunc oſtenderem vobis (ut parturiens loquor) quid meremini. Extat quidem Tribunal Chriſti, ſed abſit, ut ad illud appellem vos, qui illic, ſi vobis neceſſarium, & mihi poſſibile eſſet, vellem magis totis viribus ſtare, & reſpondere pro vobis. Itaque recurro ad eum, cui in præſenti datum eſt judicare de univerſis, hoc eſt ad vos: vos appello ad vos: vos judicate inter me, & vos.*

Si ea ætas Queſnellum tuliſſet: ipſe profecto Bernardum fuiſſet hortatus, ut ad præſumptum totius corporis conſenſum provocaret.

Sanctus Bonaventura Doctor Seraphicus inquit: *Summus Pontifex ſolus habet totam plenitudinem auctoritatis, quam Chriſtus Eccleſiæ contulit, & quòd ubique (a) in omnibus Eccleſiis habet illam, ſicut in ſua ſpeciali Sede Romana*; Cum ſolus Papa totam plenitudinem habeat auctoritatis; nequit, ut conſtat, à præſumpto conſenſu totius Corporis pendere in ferendis cenſuris.

Divus tandem Thomas opuſculo primo contra errores Græcorum hunc titulum præfigit: *Quod ad eum* (Romanum Pontificem) *pertinet determinare quæ ſunt fidei*: deinde veritatem hujuſmodi ſic demonſtrat: *Oſtenditur etiam, quod ad dictum Pontificem pertineat quæ fidei ſunt, determinare; dicit enim Cyrillus in Libro Theſaurorum, ut membra maneamus in capite noſtro Apoſtolico Throno Romanorum Pontificum, à quo noſtrum eſt quærere quid credere, & quid tenere debemus &c. Ipſius ſcilicet Apoſtolici Throni Romanorum Pontificum ſolius*

(a) *Opuſculo quare Fratres minores prædicent, & Confeſſiones audiant.*

lius eſt reprehendere, corrigere, ſtatuere, ſolvere, diſponere, & loco illius ligare, qui ipſum ædificavit &c. Oſtenditur etiam quòd ſubeſſe Romano Pontifici, ſit de neceſſitate ſalutis.

Cum Papæ ſolius ſit reprehendere, corrigere, & ligare vinculis anathematis: facile omnes intelligunt Summum Pontificem ſine præſumpto totius corporis conſenſu auctoritatem excommunicandi habere, eandemque exercuiſſe; quemadmodum ſacrarum rerum monumenta, idemque Sanctus Ignatius Patriarcha Conſtantinopolitanus teſtatur Epiſtola ad Nicolaum Papam ſcripta; cujus hæc eſt Sententia: *Ad artus humani Corporis plagis, & vulneribus ſaucios curandos medendi ars magnam medicorum copiam ſuppeditavit, in membris autem Chriſti Dei, ac Salvatoris omnium capitis, ac Sponſi Catholicæ, & Apoſtolicæ Eccleſiæ unum tantum, ac ſolum ſelectum, ac univerſaliſſimum medicum, tuam nempe fraternam, paternamque ſanctitatem ſupremum, & fortiſſimum Dei Verbum conſtituit, cum Petro Supremo, Sanctiſſimoque Apoſtolorum vertici dixit: Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ Inferi non prævalebunt adverſus eam, & rurſum: Tibi dabo claves Regni Cœlorum, & quod ligaveris ſuper Terram, ligatum erit in Cœlis, & quod ſolveris, erit ſolutum: Hujuſmodi enim Beatas voces non ſoli Apoſtolorum Principi privata quadam ſorte tranſcripſit, & aſſignavit, ſed per ipſum ad omnes Romanę Sedis Pontifices illi Succeſſuros tranſmiſit. Hinc retro, olimque ſemper cum hæreſes, & ſcelera pullularent, noxias illas herbas, & zizania, Apoſtolicæ Sedis veſtræ Succeſſores extirparunt; Et nunc Tua Beatitudo digne tractans acceptam à Chriſto poteſtatem, veritatis hoſtes fudit, & latronum more in Chriſti ovile per feneſtram aſcendentem, contraque Deum adeo ſe per arrogantiam ſurrigentem* (Photium) *medica manu Sacroſanctę, & Apoſtolicæ Auctoritatis à communi Eccleſiæ corpore pręcidiſti, & nos ab illo per ſcelus oppreſſos Innocentes pronunciaſti, noſtraque nos Eccleſię per literas reſtituiſti.*

Hæc autem Sancti Ignatii epiſtola actione 3. octavæ Synodi œcumenicæ recitatur; plena profectò ſunt monumenta Hiſtoriarum Summum Pontificem Romanum ſine præſumpto totius corporis conſenſu in alios Epiſcopos ſupremam poteſtatem exercuiſſe. Teſtis eſt Theodoretus, qui à Damaſo Papa Flavianum Patriarcham Antiochenum Lib. 5. Hiſtor. cap.23. depoſitum fuiſſe memoriæ prodit; Et licet Imperator Theodoſius niteretur Flavianum in Epiſcopatu conſtabilire; attamen juſſit eum Romam petere ad cauſam dicendam: & Theophilus Alexandrinus per legatos Romanum Pontificem pro Flaviano deprecatus fuit, ut refert Socrates Lib.5. Hiſtor. cap. 15. & ſimilem operam navaſſe Chryſoſtomum teſtatur Sozomenus Lib. 8. cap. 3., nec verò antea potuit eum Epiſcopatum Flavianus tenere, quam Romanus Pontifex placatus conſenſerit, ejuſdemque legatos ſe admiſſurum promiſerit, qui mox multos Epiſcopos, & præcipuos Antiochenæ Eccleſiæ Presbyteros ad Papam miſit, ut ibidem ſcribit idem Theodoretus.

Epiſcopum etiam Hieroſolymitanum Polychronium depoſuit Sixtus III. miſſo ad hunc finem Hieruſalem Sancto Leone Archidiacono, qui poſtea fuit Papa, ut conſtat ex primo Tomo Conciliorum in actis Sixti III.

Anthimum Patriarcham Conſtantinopolitanum Agapetus Papa depoſuit, licet Papæ Auguſtus, & Auguſta minitarentur, & pro illo ipſo ſuis manibus Conſtantinopoli Menam ordinavit, ut Liberatus ſcribit in Breviario cap.21., & Zonaras in Vita Juſtiniani.

Si ergo Romanus Pontifex Orientales Patriarchas propriæ plenitudine auctoritatis ſine ullo præſumpto totius corporis conſenſu, ut patet, depoſuit; certe ſummus eſt Judex in Eccleſia, ideoque à præſumpto conſenſu totius corporis nequaquam pendet, in deponendo, reſtituendo, excommunicando, & abſolvendo.

De reſtitutione verò Epiſcoporum ab aliis depoſitorum, ſunt

ſunt multa exempla, ſed unum mihi utpote clariſſimum inſtar omnium fuerit: Magnum enim Athanaſium Alexandrinum, Paulum Conſtantinopolitanum, & Marcellum Ancyranum Epiſcopos à Synodo Orientali depoſitos Julius I. reſtituit, ut narrat Sozomenus Lib. 3. cap. 7. *Cum* (inquit) *propter Sedis dignitatem cura omnium ad ipſum ſpectaret, ſingulis ſuam Eccleſiam reſtituit.*

PROPOSITIO XCI.

Excommunicationis injuſtæ metus nunquam debet nos impedire ab implendo debito noſtro: nunquam eximus ab Eccleſia, etiam quando hominum nequitia videmur ab ea expulſi, quando Deo Jeſu Chriſto, atque ipſi Eccleſiæ per charitatem affixi ſumus.

Queſnellus Joan. 9. 22. 23. *editione* 1693. & 1699.

PROPOSITIO XCII.

Pati potius in pace excommunicationem, & anathema injuſtum, quàm prodere veritatem, eſt imitari Sanctum Paulum; tantum abeſt ut ſit eri-

gere ſe contra auctoritatem, aut ſcindere unitatem.

Queſnellus Rom. 9. *editione* 1693. & 1699.

PROPOSITIO XCIII.

Jeſus quandoque ſanat vulnera, quæ præceps primorum Paſtorum feſtinatio infligit ſine ipſius mandato: Jeſus reſtituit quod ipſi inconſiderato zelo reſcindunt.

Queſnellus Joan. 18. 11. *editione* 1693. & 1699.

PROPOSITIO XCIV.

Nihil pejorem de Eccleſia opinionem ingerit ſuis inimicis, quàm videre illic dominatum exerceri ſupra fidem fidelium, & foveri diviſiones propter res, quæ nec fidem lædunt, nec mores.

Queſnell. Rom. 14. 16. *edit.* 1693. & 1699.

CUm apud animum agitaret, ac memoria ſæpe numero Queſnellus repeteret Janſenii Aſſeclas, quos unice diligit, eſſe à Summis Pontificibus Innocentio X., Alexandro

xandro VII., Clemente XI., Univerſaque Eccleſia condemnatos; temperare ſibi nullo modo potuit, quin acerrime in Apoſtolicam Sedem fureret, ac debaccharetur; quippe qui XCIII. Theſi auſus eſt primos Paſtores, Romanos nimirum Pontifices, ob Janſeniſtarum damnationem, *præcipitis feſtinationis, & inconſiderati zeli mandatis Jeſu contrarii redarguere*, inque Propoſitione C. Perſecutores veritatis appellare. Imo verò etiam, ut incautis imponat, eoſdemque excitet ad Apoſtolicæ Sedis obedientiam abijciendam, & Juramenti formulam à Summo Pontifice Alexandro VII. præſcriptam, qua Janſeniana lues atteritur, flocci faciendam; Theſi XCI. XCII. XCIII., & XCIV. injuſtas eſſe excommunicationes, & anathemata, quibus Janſeniſtæ non ſine univerſalis Eccleſiæ plauſu perculſi ſunt; muſſitare pergit, & in Apoſtolicam Sedem contumelioſas voces, ac petulantes mittere.

Verùm enim verò tum Queſnellum, tum quotquot audent in Sanctam Romanam Apoſtolicam Petri ſupremam, primamque Sedem injurioſas voculas jactitare, Octava Synodus œcumenica ſub Hadriano II. celebrata diris, & quidem meritis devovet action. 10. can. 3. in eam Sententiam: *Si quis tanta efferatus audacia, quemadmodum Photius, & Dioſcorus, ſive ſcripto, ſive ſine ſcripto* (a) *inſanias quaſdam contra Cathedram Coryphæi Apoſtolorum Petri audeat jactare; eandem, atque illi, ſententiam damnationis ſubeat.*

Repugnas præterea turpiter Florentinæ Synodo generali, quæ Decreto unionis Græcorum ſic ſtatuit: *Definimus ipſum Pontificem Romanum Succeſſorem eſſe Beati Petri Principis Apoſtolorum, & verum Chriſti Vicarium, totiuſque Eccleſiæ caput, & omnium Chriſtianorum Magiſtrum exiſtere.*

Florentina Synodus œcumenica profitetur Romanum Pontificem omnium Chriſtianorum eſſe Magiſtrum. Debent igitur omnes Chriſtiani, ac proinde etiam tu Queſnelle, ſi

(a) *Act.* 10. *Can.* 3. *Binij tom.* 3. *part.* 1.

ſi Chriſtianus eſſe velis, eum utpote univerſalem Eccleſiæ Magiſtrum audire. Cur igitur tanti Concilii tantum Decretum violas, & conculcas, cum Magiſtri tui obedientiam abijcias? Synodus œcumenica ſtatuit Romanum Pontificem eſſe Magiſtrum omnium Chriſtianorum, & Queſnellus affirmare non dubitat Romanum Pontificem mandatis Chriſti contraria dogmata edocere. O' præclarum Aſſeclam generalium Conciliorum! A' Patribus ſecundæ Synodi generalis Lugdunenſis recepta fuit, plenoque ore comprobata tota Profeſſio Græcæ Eccleſiæ, quæ in ea non modo proceſſionem Spiritus Sancti ex filio, verum etiam ſupremam Poteſtatem Papæ, ac Magiſterium ita prædicat.

Ipſa Sancta Romana Eccleſia ſummum, & plenum primatum, & principatum ſuper univerſam Eccleſiam Catholicam obtinet, quem ſe ab ipſo Domino in Beato Petro Apoſtolorum Principe, ſive vertice, cujus Romanus Pontifex eſt Succeſſor, cum poteſtatis plenitudine recepiſſe veraciter, & humiliter recognoſcit, & ſicut præ cęteris fidei veritatem tenetur defendere; ſic & ſi quæ de fide ſuborta fuerint quæſtiones, ſuo debent judicio definiri.

Totam, quanta eſt, Gręcæ Eccleſiæ profeſſionem Gallicana Eccleſia à Lugdunenſi Concilio repræſentata comprobavit. Ergo tum Græca vetus Eccleſia, tum Gallicana, ipſumque generale Lugdunenſe Concilium ſentiebant, *ſi quæ de fide ſuborta fuerint Quæſtiones, Summi Romani Pontificis judicio definiri debere.*

Quam miſere Lugdunenſis Concilii, Gallicanæ, ac veteris Eccleſiæ Græcæ firmæ huic Doctrinæ, ac Sententiæ refragatur Queſnellus, quippe qui affirmare minime reformidet Romanos Pontifices contraria Chriſti mandatis ſtatuere.

Gallicana Eccleſia ad Innocentium X. Papam data Epiſtola per 85. Epiſcopos, rogat eundem Innocentium X. Summum Pontificem, ut de quinque propoſitionibus excerptis

cerptis ex Cornelii Janſenii Iprenſis Epiſcopi libro, qui *Auguſtinus* inſcribitur, ſententiam ferat. Sic enim illa de Romano Pontifice ſentit: *Majores cauſas ad Sedem Apoſtolicam referre ſolemnis Eccleſiæ mos eſt, quam Fides Petri nunquam deficiens perpetuo retineri pro jure ſuo poſtulat &c.* & infra ſic. *Experta eſt nuper Beatitudo tua quantum Apoſtolicæ Sedis in gemini Eccleſiæ capitis errore profligando valuerit auctoritas, continuo ſedata eſt tempeſtas, atque ad Chriſti vocem, & imperium venti, & mare obedierunt.*

Rurſus eadem Eccleſia Gallicana ad eundem Innocentium X., poſtquam ipſe ſolus, V. damnavit Janſenii propoſitiones, epiſtolam dedit, in qua operæ pretium eſt præclaram iſtam tam illuſtris Eccleſiæ ſententiam ſedulo perpendere, ac in animo inſculptam, atque in promptu contra Queſnellianos habere: *Judicia* (inquit Gallicana Eccleſia) *pro ſancienda regula fidei à Summis Pontificibus lata, divina æque, ac ſumma per univerſam Eccleſiam auctoritate niti, cui Chriſtiani omnes ex officio ipſius quoque mentis obſequium præſtare teneantur.*

At Queſnellus audet primos Paſtores, Romanos nimirum Pontifices, ob Janſeniſtarum damnationem præcipitis feſtinationis, & inconſiderati zeli mandatis Jeſu contrarii redarguere. O' degenerem Eccleſiæ Gallicanæ Diſcipulum!

Imo verò etiam cum prævideret Queſnellus ſuas eſſe Theſes à Summo Pontifice Clemente XI. proſcribendas, ſumma ope ſtuduit excitare Queſnellianos ſuos incautos ad Romani Pontificis obedientiam abijciendam: cumque plurimas Theſes à Janſenianis hauſerit, & expreſſerit, fingit hoſtem, quem feriat; fingit videlicet excommunicationem injuſtam, ut excitet Queſnellianos ad juſtiſſimas Summorum Pontificum Innocentii X., & Alexandri VII. contemnendas Cenſuras, quo audaciores Alexandri VII. Formularium, quod eſt Janſenianæ peſti fatale, abnutent ſubſcribere.

San-

Sanctus Thomas prædicat auctoritatem univerſalis Eccleſiæ (*a*) *principaliter reſidere in Summo Pontifice,contra cujus auctoritatem nec Hieronymus , nec Auguſtinus, nec aliquis Sacrorum Doctorum ſuam Sententiam defendit.*

Et Queſnellus errores ſuos una cum ſuis fautoribus Queſnellianis contra Clementis XI. Summi Pontificis auctoritatem, & univerſalis Eccleſiæ conſenſum non dubitabit defendere?

Sanctus demum Auguſtinus de peremptorio Judicio Papæ ſic ſentit: *Per Sedis Apoſtolicæ reſcripta* (*b*) *cauſa Pelagiana finita eſt*: Ergo etiam ex Auguſtini Sententia per definitionem Clementis XI. Summi Pontificis Cauſa Queſnelliana finita eſt. Quid eſt igitur quod voculas in Summorum Pontificum cenſuras, quibus, & Janſeniana humi cauſa jacet, & tua conclamata eſt, ſtudio innani jactitare pergas Queſnelle?

PROPOSITIO XCV.

Veritates eo devenerunt, ut ſint lingua quaſi peregrina pleriſque Chriſtianis, & modus eas prædicandi eſt veluti idioma incognitum, adeo remotus eſt à ſimplicitate Apoſtolorum, & ſupra communem captum fidelium, neque ſatis advertitur quod hic defectus ſit unum ex ſignis maxime ſenſibilibus ſenectutis Eccleſiæ, & iræ Dei in filios ſuos.

Queſnellus 1. *Corinth.* 14. 21. *edit.* 1699.

PRO-

(a) 1.2. *Qu.*11. *ar.*2. *ad* 3. (b) *Serm.*2. *de verbis Apoſt. cap.*10.

PROPOSITIO XCVI.

Deus permittit ut omnes poteſtates ſint contrariæ Prædicatoribus veritatis, ut ejus victoria attribui non poſſit, niſi Divinæ Gratiæ.

Queſnellus Act. 17. 8. *edition.* 1693. *&* 1699.

PROPOSITIO XCVII.

Nimis ſæpe contingit membra illa, quæ magis Sanctè, ac magis ſtricte unita Eccleſiæ ſunt, reſpici, atque tractari tanquam indigna ut ſint in Eccleſia, vel tanquam ab ea ſeparata, ſed juſtus vivit ex fide, & non ex opinione hominum.

Queſnellus Act. 4. 11. *edit.* 1693. *&* 1699.

PROPOSITIO XCVIII.

Status perſecutionis, & pœnarum, quas quis tolerat tanquam hæreticus, flagitioſus, & impius, ultima plerumque probatio eſt, & maxime merito-

ritoria, utpote quæ facit hominem magis conformem Jeſu Chriſto.

Queſnellus Luc. 22. 37. *edition.* 1693. *&* 1699.

PROPOSITIO XCIX.

Pervicacia, præventio, obſtinatio in nolendo, aut aliquid examinare, aut agnoſcere ſe fuiſſe deceptum; mutant quotidie quo ad multos in odorem mortis id, quod Deus in ſua Eccleſia poſuit ut in ea eſſet odor vitæ; v. g. bonos libros, inſtructiones, ſancta Exempla.

Queſnellus 2. *Cor.* 2. 16. *edition.* 1693. *&* 1699.

PROPOSITIO C.

Tempus deplorabile, quo creditur honorari Deus, perſequendo veritatem, ejuſque diſcipulos, tempus hoc advenit: haberi, & tractari à Religionis miniſtris tanquam impium, & indignum omni commercio cum Deo, tanquam membrum putridum, capax corrumpendi omnia in Societate Sanctorum; Eſt hominibus piis morte corporis

mors

mors terribilior. Fruſtra quis ſibi blanditur de ſuarum intentionum puritate, & zelo quodam Religionis, perſequendo flamma, ferroque viros probos, ſi propria paſſione eſt excæcatus, aut abreptus aliena, propterea quod nihil vult examinare. Frequenter credimus ſacrificare Deo impium, & ſacrificamus Diabolo Dei ſervum.

Queſnellus Joan. 16. 2. *edit.* 1693. & 1699.

IMpias in hiſce Theſibus voces Queſnellus jactat in Catholicam Eccleſiam, quam contemnit, ſenioque tabeſcere audacter pronunciat; nec non hæreſim Lutheranorum, & Calviniſtarum ab inferis excitat: qui putaverunt Eccleſiam conſenuiſſe, ac reformatione indigere, ut in priſtinum ſtatum, dignitatemque reſtitueretur. Primis quippe quingentis annis exiſtimant illam egregie, perfecteque floruiſſe, deinde paulatim cępiſſe à vera fide deficere, donec penitus defecerit, ſuapte verò ætate refloruiſſe, & à ſe reformatam eſſe.

Nos verò cum omnibus Catholicis conſtanter credimus, & oſtendimus ſenectutem, defectum, hallucinationem, deceptionem, pervicaciam, obſtinationem, aliaque in his propoſitionibus Queſnelli, vel ut melius dicam, Calvini, & Lutheri diſſeminata, & expreſſa, in Eccleſiam Catholicam nullo modo cadere poſſe. Primum enim omnium ineluctabilis hujuſmodi veritas demonſtratur Chriſti Eccleſiam nunquam poſſe ſeneſcere ex illo Matth. 28. *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem Sæculi.* Hæc autem verba de Eccleſia viſibili dicta ſunt ad Apoſtolos, cæteroſque Diſcipulos, quos die Aſcenſionis ſuæ Dominus allocutus eſt; & cum illi homines non eſſent in corpore

per-

permanſuri uſque ad Mundi conſummationem: dicamus neceſſe eſt hanc promiſſionem ad eorum Succeſſores ſpectare. Hic locus per ſe ità clarus eſt, ut nihil ſupra; quem quidem Leo Magnus I. epiſtol. 31. ad Pulcheriam Auguſtam, & Leo II. epiſtola ad Conſtantinum Imperatorem de perpetua Eccleſiæ duratione intelligunt, & interpretantur.

Præterea ipſemet Apoſtolus clamat Paulus in eam Sententiam: *Ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò (a) Evangeliſtas, alios autem Paſtores, & Doctores, ad conſummationem Sanctorum, in opus miniſterii, in ædificationem Corporis Chriſti: donec occurramus omnes in unitatem fidei, & agnitionis filii Dei, in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti.*

Quo quidem loco Apoſtolus docet manſura in Eccleſia iſta miniſteria Paſtorum, & Doctorum, & continuam Corporis Chriſti ædificationem, ac proinde viſibilem Eccleſiam uſque ad diem Judicii.

Rurſus idem Beatus Paulus prima ad Timotheum inquit: *Ut ſcias quomodo te oporteat converſari in domo Dei, quæ eſt Eccleſia Dei vivi, columna, & firmamentum veritatis.*

Ad hæc Matthæi cap. 16. ipſamet ſumma veritas Chriſtus dicit: *ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ Inferi non prævalebunt adverſus eam.*

Chriſtus Dominus affirmat portas Inferi non prævalituras adverſus Eccleſiam ſuam; & tamen Queſnellus pergit adhuc dicere Eccleſiam ſenio confectam eſſe, & iram Dei in ejus filios perveniſſe, perinde ac ſi Chriſti Eccleſia, vel deficeret, vel erraret, cum ſit columna, & firmamentum Veritatis, qualem Beatus Paulus prædicat.

Renovat ſane in hac XCV. propoſitione Queſnellus quaſi errorem Donatiſtarum, qui dicebant totam Eccleſiam periiſſe, & in ſolis quibuſdam juſtis in Africa remanſiſſe.

Eccleſiam periiſſe Donatiſtæ, Queſnellus conſenuiſſe, ac proin-

(a) *Epiſt. ad Epheſ. cap. 4.*

proinde prope ad interitum vergere ſentit. Propterea hic auctor haud longe abhorret à Donatiſtis quos egregie, robuſteque magnus Auguſtinus elingues reddit in eam ſententiam. *Sed illa Eccleſia, quæ fuit omnium gentium, jam non eſt, periit. Hoc dicunt qui in illa non ſunt* (a) *ò impudentem vocem? Illa non eſt, quia tu in illa non es? Vide ne Tu ideo non ſis; nam illa erit, etſi tu non ſis.*

Rurſus idem Auguſtinus exponens verſiculum illum Pſalmi 47. *In Civitate Domini virtutum, in Civitate Dei noſtri; Deus fundavit eam in æternum*, quem intelligit de Eccleſia Chriſti, dicit: *ſed forte iſta Civitas, quæ Mundum tenuit, aliquando evertetur. Abſit. Deus fundavit eam in æternum. Quid times, ne cadat firmamentum?* Et in Libro de Unitate Eccleſiæ cap. 12. *Evangelizata eſt* (inquit Auguſtinus) *nobis Eccleſia per totum Orbem terrarum futura. Hoc in lege, & prophetis, & pſalmis eſſe pronunciatum ipſe Dominus teſtificatus eſt &c. Alìud autem evangelizat, qui periiſſe dicit de cætero Mundo Eccleſiam, & in parte Donati in ſola Africa remanſiſſe dicit. Ergo anathema ſit.* Idem profecto anathema in caput ejus recideret, qui aliud evangelizat, nempe Queſnellus, qui Eccleſiam aſſerit conſeneſcere, & veritatis Prædicatoribus eſſe contrariam, & in parte Janſenii magiſtri ſui veram Eccleſiam remanſiſſe.

Jam verò Eccleſiam à Chriſto Domino gubernari, tanquam à capite, ac Sponſo ſuo, patet Epheſ. 1.; *Ipſum dedit caput ſuper omnem Eccleſiam, quæ eſt Corpus ipſius*, & Epheſ. 5. *Vir caput eſt Mulieris, ſicut Chriſtus caput Eccleſiæ.*

Ergo ſi Eccleſia in fidei, vel morum dogmatis erraret; Chriſto utique Domino error tribueretur. Præterea Joannis 16. Dominus ait: *Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem.*

Pravè ſentis ergo Queſnelle primo in Propoſitione XCIX.

(a) *In Pſalm.* 101. *Corinth.* 2.

quod aſſeras poſſe in Eccleſiam cadere (quod ad fidem attinet) deceptionem, pertinaciam, & obſtinationem in nolendo perquirere veritatem. Blaſphemas ſecundo, cum aſſeras in Propoſitione C. adveniſſe tempus deplorabile, quo Eccleſia veritatem perſequatur. Tempus autem hoc adveniſſe non poteſt, cum Eccleſia juxta Paulum prima ad Timoth. *ſit columna, & firmamentum veritatis*; & juxta Chriſti promiſſionem, *Portæ Inferi adverſus eam non ſint* (*a*) *prævalituræ*.

Turpiter erras tertio quod affirmes in Eccleſia eſſe ſigna maxime ſenſibilia ſenectutis. Nam ſi ſeneſcere poſſet Eccleſia, poſſet quoque deficere. Nam juxta Paulum Apoſtolum ad Hebræos 8. *quod antiquatur, & ſeneſcit, prope interitum eſt*; Ea verò nec ſeneſcere, nec deficere poteſt; cum Chriſtus Dominus dixerit, Matth. 28. *Ecce Ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem Sæculi*.

Eadem ratione Propoſitio XCVII., & XCVIII. refellitur, quas in medium protuliſti. Define igitur tandem aliquando Queſnelle de Eccleſia falſo queri, & in illam atroces voces jactare, quod errores Janſenii, tuoſque optimo jure damnaverit. Muta quæſo iſtam mentem, & conſpira cum Chriſti Eccleſia. Nam (ut verbis Auguſtini utar) *diſputare contra id quod univerſa ſentit Eccleſia, inſolentiſſima inſania eſt*; errores autem tuos univerſa Eccleſia, ſi pauciſſimos Queſnellianos tuos exceperis, qui ad totam Eccleſiam nihil ſunt, diris devovet, refellit, ac reſpuit.

Impie tandem ſentis quod Propoſitione XCVI. aſſeras Deum permittere, ut omnes poteſtates Prædicatoribus veritatis adverſæ ſint; Janſenianis quidem certe, utpote præconibus errorum, omnes poteſtates tam Eccleſiaſticæ, quàm Sæculares merito refragantur; at Prædicatores veritatis colunt, & audiunt.

Cum igitur affirmes Deum permittere ut omnes poteſtates

(a) *Matth. 16.*

tes Prædicatoribus veritatis adverſæ ſint: cumque omnes poteſtates Eccleſiaſticæ, ac Sæculares nullis aliis Prædicatoribus, niſi Janſenianis, & Tibi, & Queſnellianis tuis adverſæ ſint; facile intelligis, atque reputas primum omnium Deum permiſiſſe ut Sedis Apoſtolicæ poteſtas, quam *ſuperbis Inferorum Portis* (*a*) *non vinci* Auguſtinus prædicat, & Tibi, & Queſnellianis, & Janſenianis tuis, quos præcones nuncupas veritatis, repugnet: deinde jactas permiſiſſe Deum; ut Auguſta Majeſtas, atque poteſtas Regis Chriſtianiſſimi Ludovici XIV., cujus fides ſemper erit Eccleſiæ gloria, adverſetur Tibi, & Janſenianis tuis *prædicatoribus veritatis*, *quò ejus* (ut ais) *Victoria attribui non poſſit niſi Divina Gratiæ;* Quaſi verò tum Summi Pontifices, tum Pius, Inclytus, ac Immortalis Ludovicus XIV. ad Janſenianam peſtem, tuamque profligandam impie conſpiraſſent.

Verùm enim verò, & Innocentius X., & Alexander VII., & Clemens XI., & Ludovicus XIV. acerrimi Fidei cuſtodes, ac Vindices, jure optimo hac in cauſa promeruerunt Aurelianenſis V. Concilii præclarum illud Elogium: *Ad divinam gratiam* (*b*) *referendum eſt, cum Vota Principum concordant animis Sacerdotum.*

(a) *Pſalm. contra partem Donati.* (b) *Celebratum anno 549. tom. I. Conciliorum Galliæ.*

PROPOSITIO CI.

Nihil Spiritui Dei, & Doctrinæ Jeſu Chriſti magis opponitur, quàm communia facere juramenta in Eccleſia, quia hoc eſt multipicare occaſiones pejerandi, laqueos tendere infirmis, & idiotis, & efficere ut nomen, & veritas Dei, aliquando deſerviant Conſilio Impiorum.

Queſnellus Matth. 5. 37. *editione* 1693. & 1699.

QUeſnellus errorem hunc ab hæretico Joanne VVicleſſo hauſit, & expreſſit, cujus XLIII. Propoſitionem Conſtantienſis Generalis Synodus ſeſſione 8. damnavit: Propoſitionis XLIII. VVicleſſianæ proſcriptæ hæc eſt Sententia: *Juramenta illicita ſunt, quæ fiunt ad roborandum humanos contractus, & commercia civilia*. Quamobrem minime mirum eſt, ſi idem Concilii œcumenici Conſtantienſis anathema in Joannis VVicleſſi caput, atque ipſius Queſnelli recidat.

Quod ſi Joannem VVicleſſum propterea Conſtantienſe generale Concilium damnavit, quòd juramenta, quæ ad humanos roborandos contractus fiunt, eſſe illicita effutiverat: longe profecto æquiori jure, graviorique de cauſa veſtrum Queſnellum, Queſnelliani, idem Concilium diris oportet devoveat, utpote qui in hac ſua Theſi haud obſcure vituperet juramenti formulam, quam Alexander VII. divino Spiritu veritatis afflatus præſcripſerat, quo ab Orthodoxis Janſeniani diſcernerentur, & caperentur lupi, qui veniunt in veſtimentis ovium, neve parvulæ vulpes, domini vineam demolirentur.

Con-

Concilium œcumenicum Lateranenſe ſub Innocentio Papa III. celebratum cap. 3. hæreſeos nomine ſuſpectos jure jurando conſtringit. Ecce tibi Synodi verba: *Ipſe autem Epiſcopus ad præſentiam ſuam convocet accuſatos, qui niſi ſe ab objecto reatu purgaverint, vel ſi poſt purgationem exhibitam in priſtinam fuerint relapſi perfidiam, canonice puniantur: ſi qui verò ex eis Juramenti religionem obſtinatione damnabili reſpuentes, jurare forte noluerint, ex hoc ipſo tanquam hæretici reputentur.*

Lateranenſis ergo Concilii œcumenici imitatus exemplum Alexander VII. Summus Pontifex optimum cepit Conſilium præſcribendi Formulam juramenti, ut videlicet qui juramenti religionem obſtinatione damnabili reſpuentes, jurare forte noluerint, ex hoc ipſo tanquam hæretici reputentur. Et ſane in rem belle cadit præclara illa magni Auguſtini ſententia: *Sacramenta* (a) *juris jurandi aut perfidia exegit, aut fallacia inconſtantis, ut quia fallere homines ſolent, timore forte Dei revereantur.*

Sacramentum ergo juris jurandi, cujus formulam Alexander VII. ſapienter præſcripſerat, ac præceperat, aut perfidia exegit, aut fallacia inconſtantium Janſeniſtarum, ut quia fallere ſolent incautos, timore forte Dei revereantur.

Querimonia Queſnelli.

Je ne ſcais par quelle ſubtilitè les Theologiens de l'Aſſemblée pourront empêcher que la cenſure, & la condannation de la 101; & derniere Propoſition ne retombe ſur les ſacrées paroles du Sauveur.

Confutatio.

Melius, crede mihi, quàm Tu Queſnelle, Generalis Conſtantienſis Synodus intellexit Chriſti Domini Servatoris verba illa: *Ego autem dico vobis* (b) *non jurare omnino*. Et tamen Joannem VVicleffum (ut paulo ante memoratum eſt)

(a) *Quæſt. ex utroq. mixtum.* (b) *Matth.* 5.

juramenta, quæ ad humanos roborandos contractus pertinent, tanquam illicita vituperantem damnat. Melius, quam Tu, verba Chriſti ponderavit œcumenica Lateranenſis Synodus ſub Innocentio III. Papa celebrata, quę cap. 3. imperat, ut hæreſeos nomine ſuſpecti, ſi jurare forte noluerint, ex hoc ipſo tanquam hæretici reputentur. Plenius, quàm tu, perpendit noſtri Servatoris verba Senonenſe Concilium; Et tamen Decreto 17. damnat illam quorundam hæreticorum Theſim: *Lex Evangelica, quo tutiores ſint homines à perjurio, damnat omne jus jurandum: ut jam fas non ſit jurare, neque per Deum, neque per Cœlum, neque per Terram.*

Accedit huc etiam auctoritas Concilii Toloſani, quod anno 1229. celebratum canon. 12. ſic ſtatuit: *Univerſi tam mares, quàm fœminæ, maſculi (a) à 14. anno & ſupra, fœminæ à 12. abjurent omnem hæreſim extollentem ſe adverſus Sanctam, & Catholicam Romanam Eccleſiam, & fidem orthodoxam, quibuſcumque nominibus cenſeantur: jurent etiam quod Fidem Catholicam, quam Romana Eccleſia tenet, & prædicat, ſervabunt, & hæreticos pro viribus perſequentur, & eos bona fide manifeſtabunt: nomina autem omnium Virorum, ac Mulierum in qualibet Parœcia conſcribentur, & omnes coram Epiſcopo, vel coram bonis Viris, quibus hoc demandaverit, præſtent juramentum præmiſſum. Et ſi quis abſens fuerit, & poſt reditum ejus infra 15. dies idem Sacramentum non præſtiterit, quòd ex inſpectione nominum poterit apparere, ſuſpectus de hæreſi habeatur; Hujuſmodi autem juramentum ſingulis bienniis renovetur.*

Concilium Toletanum VIII. anno 653. celebratum capite 2. laudat juramentum in eam Sententiam: *Omne quod in pacis fœdere venis, tunc ſolidius ſubſiſtit, cum juramenti hoc interpoſitio roborat. Sed & omne (b) quod animos amicorum conciliat, tunc fixius durat; cum eos Sacramenti vincula ligant. Omne etiam quod teſtis adſtipulat, tunc verius conſtat, cum id adjectio*

(a) *Tom. 2. Labbè.* (b) *Tom. Concil. Binnii.*

ctio jurationis affirmat. Quodſi & teſtis deficiat, Innocentis fidem ſola juriſjurandi taxatio manifeſtat.

Divus autem Thomas Doctor Angelicus temet Queſnelle in eam convincit Sententiam: *Dicendum eſt quòd juramentum ſecundum ſe eſt licitum, & honeſtum; quod patet ex origine, & ex fine. Ex origine* (*a*) *quidem, quia juramentum eſt introductum ex fide, qua homines credunt Deum habere infallibilem veritatem, & univerſalem omnium cognitionem, & proviſionem. Ex fine autem, quia juramentum inducitur ad juſtificandum homines, & ad finiendum controverſias, ut dicitur ad Hebr.6. Sed juramentum cedit in malum alicui ex eo, quod male utitur eo, ideſt, ſine neceſſitate, & cautela debita. Videtur enim parvam reverentiam habere ad Deum, qui eum ex levi cauſa teſtem inducit: quod non præſumeret etiam de aliquo viro honeſto; imminet etiam periculum perjurii: quia de facili homo in verbo delinquit, ſecundum illud Jacob 3. ſi quis in verbo non offendit, hic perfectus eſt Vir. Unde, & Eccleſ.23. dicitur, jurationi non aſſueſcat os tuum: multi enim caſus in illa.*

Vere autem, ac egregie Sanctus Auguſtinus, ac Divus Thomas explicant juramenta non neceſſaria Chriſtum Dominum improbare. Sic enim D. Auguſtinus ſentit. *Qui intelligit non in bonis, ideſt per ſe appetendis,* (*b*) *ſed in neceſſariis jurationem habendam, refrænet ſe quantum poteſt, ut non ea utatur, niſi neceſſitas cogat.*

Divus tandem Thomas ita ſuam aperit nobis Sententiam: *Juramentum quanto eſt magis venerandum, tanto eſt magis periculoſum, niſi debite inducatur.* (*c*)

Dum verò generatim Queſnellus, ſimpliciterque ſtatuit, ac definit nihil magis opponi Spiritui Dei, quàm communia facere juramenta in Eccleſia; ſtudet profecto non modo abolere ea juramenta, quæ neceſſitas, ac utilitas in Eccleſiæ, ac ſæculi Tribunalia frequenter invexere ob humana corroboranda commercia, bonamque fidem Divinæ Maje-

(a) 2.2. q.89. art.2. [b) *Lib.de Serm. Dom. in Monte.* (c) 2.2. q.89. art. 3. ad 3.

ſtatis incolumi riverentia confirmandam; verum etiam utpote Janſenianorum Diſcipulus, & Collega de illo jure jurando graviter, ac tragice queritur, quod jurant, quotquot celebri Formulario Alexandri VII. jubentur ſubſcribere. At Summi Pontifices illud conſtituerunt, Epiſcopi libenter illud comprobaverunt, & neceſſitas diſcernendi eos, qui erroribus Janſenii ſunt, ab iis, qui non ſunt imbuti, cogit hoc jusjurandum exigere.

Diſplicet tibi Queſnelle juramentum illud quod ab Eccleſiaſticis in Gallia exigitur juxta Formulam à Summo Pontifice Alexandro VII. præſcriptam de reſpuendis, damnandiſque Janſenii propoſitionibus: ſed maxime vellem ut improbares, atque reijceres quotquot errores à Janſenio, Luthero, Calvino, aliiſque antiquis Hæreticis hauſiſti: quibus profecto CI. Propoſitiones tuas miſere contaminaſti.

Nam hujuſmodi errores tui, (ut Magni Auguſtini verbis utar) *decurrunt ad tempus, perſtrepunt, mox ceſſabunt, diu ſtare (a) non poſſunt; multæ hæreſes jam emortuæ ſunt, cucurrerunt in rivis ſuis quantum potuerunt, decurrerunt, ſiccati ſunt rivi, vix eorum memoria reperitur, vel quia fuerint.*

PRÆ-

(a) *Pſalm.* 57.

PRÆSENS ECCLESIA

Damnat. ci. Propositiones Queſnelli.

Atis hactenus, ſuperque oſtendimus jamdudum errores illos, quibus eſt imbutus Queſnellus, profluxiſſe, & ab univerſali Eccleſia damnatos fuiſſe: nunc verò facturum me operæ pretium arbitror, ſi oſtendero quam gravibus, apertiſque diris Pręſens Eccleſia CI. Queſnelli Theſes devoveat. Age dum videamus quid ipſummet ſupremum Eccleſiæ univerſalis Caput viſibile, & quid Eccleſia univerſa de Queſnelli propoſitionibus ſentiat. Clemens igitur XI. Summus Pontifex præclariſſima Conſtitutione *Unigenitus*, damnat CI. Propoſitiones Queſnelli in eam Sententiam: *Omnes, & ſingulas propoſitiones prainſertas, tanquam falſas, captioſas, male ſonantes, piarum aurium offenſivas, ſcandaloſas, pernicioſas, temerarias, Eccleſiæ, & ejus praxi injurioſas, neque in Eccleſiam ſolum, ſed etiam in Poteſtates Sęculi contumelioſas, ſeditioſas, impias, blaſphemas, ſuſpectas de hæreſi, ac hæreſim ipſam ſapientes, nec non hęreticis, & hæreſibus, ac etiam ſchiſmati faventes, erroneas, hæreſi proximas, pluries damnatas, ac demum etiam hæreticas, variaſque hęreſes, & potiſſimum illas, quæ in famoſis Janſenii propoſitionibus, & quidem in eo ſenſu, in quo hæ damnatæ fuerunt, acceptis,* con-

continentur, manifeſte innovantes, reſpective, hac noſtra perpetuo valitura Conſtitutione declaramus, damnamus, & reprobamus.

Hiſpalenſis Eccleſia haſce ad Summum Pontificem Clementem XI. literas dedit: *Duplicem Sanctitatis veſtrę Conſtitutionem accepimus, utramque ſapientia, prudentia, & integritate Apoſtolica digniſſimam, alteram anno* 1705. *incipientem,* Vineam Domini Sabbaoth, *contra Janſenianorum Cavillos; alteram ſexto Idus Septembris anni* 1713. *editam, cujus initium eſt,* Unigenitus Dei Filius, *in qua ſanctitas veſtra Auctoris famoſi (mala utique fama, ut olim dixit Auguſtinus) libros, & excerptas ex eis captioſas propoſitiones plures confixit. Utramque cęca fidei obedientia amplexati ſumus tanquam Dei è Cœlo pronunciantis oracula, nullius examini obnoxia, nullius acceptationis indiga, non quaſi aſſenſu noſtro aliquid illis auctoritatis, aut roboris adderemus; ſed ut obſequii Sanctitati Veſtra jure debiti, nobis gloriam poſſemus vindicare: Quod quidem, vel uſque ad ſanguinis profuſionem, & omnes, & ſinguli maximo animi ardore, & veriſſima conſenſione Sanctitati Veſtra praſtandum elata voce in noſtro Capitulo conteſtati ſumus &c. Quis enim alius Sectariorum, & maxime Janſenianorum ſcopus eſt, niſi, quo juſtiſſimam damnationem eludant, Romana Sedis auctoritatem, qua arte poſſint, deprimere, & vano Concilii pratextu Romani Pontificis infallibilitatem in rebus fidei definiendis è ſuo gradu deijcere? Quaſi ad eorum errores proſcribendos, totum quamlate patet orbem commoveri neceſſe foret, prater omnis Eccleſiaſtica antiquitatis morem, & ſenſum &c. Novimus Romanum Pontificem unius immaculata Columba nutritorem, puro, ſelectoque doctrina grano, ut ait eximium Gallia decus Alcuinus: ille Caput eſt totius Corporis, cui quidquid eſt fidelium, ſubmittitur, adjungit Sanctus Ennodius: nec minus clare Gallus Hincmarus: de omnibus dubiis, vel obſcuris, qua ad recta fidei tenorem, vel pietatis dogmata pertinent, Sancta Romana Eccleſia, ut omnium Eccleſiarum Mater, & Magiſtra, Nutrix, & Doctrix, eſt* con-

conſulenda &c. nos equidem Beatiſſime Pater non aliam Fidei regulam agnovimus, quam quæ à Romani Pontificis, atque adeo à S. V. ore proficiſcitur.

Hic omnium Hiſpanarum Eccleſiarum, & noſtræ præſertim Hiſpalenſis ſenſus fuit. Sane Petrus, & quicumque certus, & indubitatus Pontifex Romanus. Petra eſt inviolabilis, contra quam inferorum porta, hæreſes, & errorum monſtra, nunquam prævalebunt, contra cujus auctoritatem, nec Hieronymus, nec Auguſtinus, nec aliquis Sacrorum Doctorum ſuam Sententiam defendit, ut nos edocet S. Thomas &c. Improbamus, & anathematizamus quidquid S. V. e Romana Sede anathematizat, & improbat. Cathedræ Petri (ut Sancto Damaſo olim aſſerebat Hieronymus) communione conſociamur. Gallicanos Patres in Lateranenſi Generali Concilio audivimus profitentes: Ab Apoſtolicæ Sedis unitate nunquam voluimus, nec in futurum volumus ſeparari. Idemque hodie pene omnes Galliæ præſules ejuſdem fidei hæredes profitentur. Refractarias oves, non balantes, ſe ſerpentum ritu ſibilantes non audimus, ſed temerarios earum ſtrepitus horrore proſequimur.

Sacra verò Facultas Theologica Conimbricenſis ad Summum Pontificem Clementem XI. in eam ſcribit Sententiam: *Ea eſt apud Luſitanos erga Sedem Apoſtolicam reverentia, ut nulli eorum unquam in mentem venerit vocare in controverſiam, quæ à Romano Pontifice univerſam Rempublicam Chriſtianam docente, declarata ſunt. Hoc enim Regnum, quod à ſuis incunabulis audire cœpit fide purum, & pietate dilectum, probe novit ad Sapientiſſimam Divini Numinis Providentiam pertinere, quod Chriſti Vicarii Sancti Petri Succeſſores totum Orbem erudientes circa res fidei, & morum, nec fallere, nec falli poſſint, promittente Domino, Petri fidem nunquam fore defecturam. Hac de cauſa cum primum auditum eſt in Luſitania de Romano Cœlo tactum fuiſſe Apoſtolico fulmine opus gallice conſcriptum in plures tomos diſtributum, cui titulus: le nouveau Teſtament en françois, avec des reflexions morales ſur chaque verſet &c. à Paris*

1699.

1699. *aliter verò*: *Abregè de la morale del' Evangile, des actes des Apoſtres, des epiſtres de S. Paul, des epiſtres Canoniques, & de l'Apocalypſe, ou Penſées Chretiennes ſur le Texte de ces livres ſacrez &c. à Paris 1693. & 1694. percuſſaſque præcipuè fuiſſe unam ſupra centum Theſes, iis voluminibus contentas, tanquam falſas, captioſas, male ſonantes; piarum aurium offenſivas, ſcandaloſas, pernicioſas, temerarias, Eccleſiæ, & ejus praxi injurioſas, nec in Eccleſiam ſolum, ſed etiam in poteſtates ſæculi contumelioſas, ſeditioſas, impias, (a) blaſphemas, ſuſpectas de hæreſi, ac hæreſim ipſam ſapientes, nec non hæreticis, & hæreſibus, ac etiam ſchiſmati faventes, erroneas, hæreſi proximas, pluries damnatas, ac demum etiam hæreticas &c. nihil omnes Luſitani Theologi habuere antiquius, quàm ut immortales gratias agerent Deo ſcientiarum Domino pro mente divinitus injecta ſanctitati veſtræ, ut proſcriberet volumina, & propoſitiones, quæ non ſine magno privatæ, & publicæ ſalutis detrimento ſuſtineri poterant. In Luſitanorum enim animis altius infixum eſt eos planè deſipere, qui contra Eccleſiam ſibi videntur ſapere, editoque oraculo univerſalis Eccleſiæ Magiſtri, uno ore affirmant omnes Luſitani, nihil reponendum eſſe, præter priſcum illud: Ipſe dixit.* Ac paulò inferius ita: *Omnes quippe ſciunt tenent, & fatentur, ſolius Sedis Apoſtolicæ eſſe citra erroris periculum docere omnes Gentes: Ovium eſſe ſequi Paſtorem, quia ſciunt vocem ejus: omnes compertum habent ad filios ſpectare, & audire diſciplinam Patris ſui, & non dimittere legem Matris ſuæ, quæ eſt Romana Eccleſia &c. quod enim Romanus Pontifex approbat, nemo improbare poteſt, quod improbat, nemo approbare valet: Quapropter Summi Pontificis leges nullius indigent ſuffragio, nullius egent approbatione, ut omnes obligent, nullius impediri poſſunt interceſſione, ne ſuas in univerſum Populum Chriſtianum vires exerant.*

Archiepiſcopus Mechlinienſis epiſtola paſtorali ad univerſum Clerum, & Populum Diœceſeos inter cætera ita ſcribit: *Nihil*

(a) *Scripta anno 1717. V. Id. Februarii.*

Nihil tergiverſandum putavimus, dilecti Filii, ſed Beatiſſimi Patris, ac univerſalis Judicis, de cujus judicio diſceptare nemo audeat, voci promptiſſime obſequentes, una cum ipſo, imo, & ipſiuſmet verbis, vobis, quiu & omnibus, qui ubicumque terrarum catholico nomine gloriantur, diſertiſſime profitemur, & declaramus, nos, eos omnes, cujuſcumque ſtatus, gradus, ordinis, & conditionis illi ſint, etiamſi Epiſcopali, Archiepiſcopali, aut alia qualibet, etiam Cardinalatus dignitate præfulgeant, qui memorata Conſtitutioni Unigenitus debitam, & omnimodam obedientiam præſtare hactenus recuſarunt, aut in poſterum recuſare auſi fuerint, ut veros Sanctæ Romanæ (a) *Eccleſiæ filios non agnoſcere, neque ut Summo Pontifici, & Beati Petri Cathedræ, quod falſo autumant, adhærentes, & conſentientes, ſed contra potius, uti aperte inobedientes, ac notorie contumaces, & refractarios habere, tenere, ac reputare.*

Audite Queſnelliani quid ſacra Facultas Theologica Duacenſis de Queſnello veſtro, deque vobis ſentiat: *Profeſſi ſunt omnes unanimiter, & aperte ſe Conſtitutionem Apoſtolicam, quæ incipit:* Unigenitus Dei filius, *recipere pure, ſimpliciter ſine ulla diſtinctione, expoſitione, ſeu interpretatione, & cum plena, ac ſyncera mentis adhæſione ad ea omnia* (b) *quæ in illa definiuntur.*

Se proinde unam, & centum Propoſitiones, ſicut & opus, ex quo excerpta ſunt, ſub iiſdem cenſuris damnare, ſub quibus in præfata Conſtitutione damnantur.

Se, & reliquos fideles obligari in conſcientia, & ſub graviſſimo Schiſmatis, aut hæreſis peccato, ad hanc fidei confeſſionem, ſibi perſuaſum eſſe, novam Conſtitutionem comparatam ad rerum Theologicarum peritos, ad humiles, ac obedientes Eccleſiæ filios, non minus eſſe claram, quàm quæ alias edita ſunt adverſus VVicleffum, Joannem Hus, Lutherum, Bajum, Janſenium, Molinos, quam multi Canones à Conciliis generalibus conditi. Caterum illam non minus acceptandam, etſi reſpectu aliquorum privatorum, aliqualiter obſcura foret; quemadmodum Biblia vulgatæ ver-

(a) *Scripta* 17. *Octobris anno* 1718. (b) *Scripta anno* 1718.

verſionis ab omnibus recipiuntur, etſi non pauca in iis ſint obſcura; Illos verò qui Conſtitutionem non niſi explicatam recipere volunt, non ipſam Conſtitutionem, ſed ſuas explicationes præconceptis opinionibus conformes recipere, illos non obedire voci Paſtoris, ſed propriis placitis ſuperbe, & pertinaciter inhærere, Lutheranos, & Calviniſtas etiam paratos recipere quaſvis Conſtitutiones Pontificias, ipſumque Concilium Tridentinum, ſub explicationibus ſibi placentibus. Se generatim reijcere omnes fraudes, & cavillationes, quibus aliqui novatores vim præfatæ Conſtitutionis infringere conantur. Maxime mirum eſſe, quod aliqui ſe Catholicos vocitantes, præfatas propoſitiones, aut nolint anathematizare, aut ægre anathematizent; cum omnes ferè, pauciſſimis exceptis, in antiquis, & recentioribus profanarum novitatum Auctoribus à Conciliis generalibus, & Summis Pontificibus prædamnatæ ſint. Se cum Chriſti gratia paratos mori pro æquitate, veritate, ac robore præfatæ Conſtitutionis, quam ad perpetuam, & vegetam rei memoriam actis ſacræ Facultatis inſeri voluerunt, ac juſſerunt.

Placuit ſacræ Facultati, ut ex Scripturis, Summis Pontificibus, Conciliis, Patribus, aliiſque Auctoribus Eccleſiaſticis ſequentia Teſtimonia proferantur, illaque in quatuor Claſſes diſtributa præcedentibus actis adjungantur: quibus demonſtretur neceſſe eſſe, ut fideles cum Petro, ejuſque Succeſſoribus Eccleſiam paſcentibus, ſeu ex cathedra docentibus perpetuo conſentiant, niſi ab ovili Chriſti, ut oves putridæ, ſejungi velint.

Sacra Facultas Theologiæ Pariſienſis de Conſtitutione Unigenitus, qua CI. Propoſitiones Queſnelli damnantur, ita præclare ſentit, ut nihil ſupra: *Ecce* (inquit eadem ſacra Facultas) *poſtremum Decretum æternum fore Sanctiſſimi Pontificis vigilantiſſimæ ſolicitudinis monumentum, quo nempe cernere eſt quanto amore, quanta cura ſupremus ille Paſtor oves ſibi à Chriſto, cujus Vicarius eſt, commiſſas abducat à paſcuis venenatis; quanto lucis radio offuſas puriori doctrinæ nebulas diſcutiat, & diſſipet: quam provido, & forti conſilio renaſcentia ex dam-*

uabili ſtipite virgulta diſrumpat, ultimas evellat fibras, & omnia elidat ſemina &c.

Atque iis palam lectis in ſacra Facultate, idem D. Syndicus dixit, teneri ſe ex officii ſui ratione monere ſacram Facultatem.

I. *Semper ſumma cum obſervantia, & ſine ulla exceptione, nullave adjecta clauſula receptas fuiſſe à ſacra Facultate Conſtitutiones ſummorum Pontificum à Rege ad ipſam miſſas.*

II. *Præſentem Conſtitutionem ab Epiſcopis magno numero juſſu (a) Regis ad id ſpeciatim congregatis ſumma veneratione, & obſequio acceptam.*

Conſtitutionem Summi Pontificis Clementis XI., quæ incipit, Unigenitus Dei filius, *ſumma cum reverentia, atque obſequio recepit, & amplexa eſt.*

Audite Queſnelliani plurimorum Gallicanorum Præſulum epiſtolam ad Summum Pontificem Clementem XI. datam, pudeatque vos tandem aliquando Queſnello Duce, ac Magiſtro uti: ſic enim ſcribunt Epiſcopi Gallicani.

Quod olim uni Anteceſſorum tuorum Pontifici Excellentiſſimo ſcribebat unus ex Anteceſſoribus noſtris doctrina, & pietate conſpicuus, polliceri ſe ſecurum (b) de totius Galliæ devotione ſuper ſtatu Fidei captare Sedis Apoſtolicæ ſententiam: idem nos ultro hodie Sanctitati Veſtræ pollicemur, ac renovamus obſequium. Hoc nos officio defungi, & præſens conditio temporum poſtulat, & in primis edita à Te nuper tanto ſtudio, ac labore ſolemnis, ac præclara Conſtitutio adverſus librum Conſiderationum moralium in novum Teſtamentum Gallice inſcriptum. Reflexions morales &c. ea ubi primum Regi oblata fuit, ut eſt ipſius in Catholicæ Fidei defenſionem ſemper intentus, & erectus animus, Regiis literis juſſit, ut quotquot erant Pariſiis Epiſcopi cum aliis, qui illuc deinceps eſſent acceſſuri, convenirent, ut collatis inter ſe Conſiliis, ea, qua par eſt, reverentia de eadem Conſtitutione acceptanda ſolicitius agerent: atque hæc Comitia illico, prout rei gravitas poſtulabat, frequentiori Præſulum conventu, hac in Urbe habita

(a) *To. xi. Conciliorum Harduini.* (b) *S. Avitus Epiſt. ad Hormiſdam Papam.*

habita ſunt. In iis nos majorum noſtrorum exempla ſecuti, atque eodem, quo illi in Apoſtolicam Sedem ſtudio flagrantes, Sanctitatis Veſtrę poſtremam Conſtitutionem Unigenitus conſimili obſequio, ac veneratione amplexi ſumus.

Quid ſupereſt Beatiſſime Pater, niſi ut Domino (a) ac Deo noſtro non deſinamus gratias agere, & pariter ſupplicare, gratulantes quod tantæ Sanctitatis, tantæ fidei, tantæque Doctrinæ Apoſtolicę Sedi, unde Religionis noſtræ propitio Chriſto fons, & origo manavit, Antiſtitem Clementem dederit?

Liceat mihi eorum Epiſcoporum nomina, qui hanc ſcripſerunt Epiſtolam, hìc recenſere.

Armandus Garto Cardinalis de Rohan Epiſcopus, & Princeps Argentinenſis Præſes.
Leo P.P. Archiepiſcopus Bituricenſis.
Franciſcus de Maillis Archiepiſcus Remenſis.
Armandus Archiepiſcopus Burdigalenſis.
Claudius Maurus Archiepiſcopus Rotomagenſis.
Carolus Archiepiſcopus Aquenſis.
R. F. Archiepiſcopus Toloſanus.
Jacobus nuper Epiſcopus Rhegienſis, Archiepiſcopus Auſcenſis electus.
Carolus Epiſcopus Conſtantienſis.
Humbertus olim Epiſcopus Tutelenſis.
F. de Silleris Epiſcopus Sveſſionenſis.
Franciſcus Epiſcopus Venetenſis.
Petrus Daniel Epiſcopus olim Abrincenſis.
Henricus Epiſcopus Meldenſis.
Franciſcus Epiſcopus Cadurcenſis.
Martinus Epiſcopus Vivarienſis.
Ludovicus Epiſcopus Dux Laudunenſis.
Franciſcus Dux Lingonenſis.
David Nicolaus Epiſcopus Bleſenſis.
Franciſcus Epiſcopus Vencienſis.

D. Fran-

(a) *Tom. XI. Concilior. Harduini.*

D. Franciſcus Epiſcopus Trecenſis.
Ludovicus Gatto Epiſcopus Aurelianenſis.
Carolus Epiſcopus Altiſſiodorenſis.
Franciſcus Epiſcopus Comes Tullenſis.
Eduardus Epiſcopus Nivernenſis.
Michael Epiſcopus Andegavenſis.
Petrus Epiſcopus Ambianenſis.
Franciſcus Gaſpardus Epiſcopus Arethuſanus.
Carolus Franciſcus Epiſcopus Comes Novionenſis.
Carolus Franciſcus Epiſcopus Carnotenſis.
Dominicus B. Epiſcopus Sagienſis.
Joannes Epiſcopus Ebroicenſis.
Carolus Franciſcus d'Hallencourt Epiſcopus Æduenſis.
Henricus Auguſtinus Epiſcopus Xantonenſis.
Chriſtophorus F. G. Epiſcopus Rhedonenſis.
Petrus Epiſcopus Cenomanenſis.
Joannes Franciſcus Gabr. Epiſcopus Alecienſis.
Franciſcus Honor. Antonius Epiſcopus, & Comes Bellovacenſis.
Joannes Lud. Epiſcopus S. Pontii Tomeriarum.
Nicolaus Epiſcopus Vaurenſis.
Ludovicus Baltazar Epiſcopus Rhegienſis.
A. Franciſc: Gvill. du cambout, Agens Generalis Cleri Promotor.
Carolus Mauritius de Broglie, Agens Generalis Cleri à Secretis Pariſiis nonis Februarii 1714.
Les Cardinaux, Archeveſques, & Eveſques Aſſemblez en la Ville de Paris.
Aux Archeveſques, & Eveſques du Royaume noſtres honorez Freres.
Salût en noſtre Seigneur. (*a*)
Inter cætera, etiam hæc pronunciant: *Mais Dieu, qui ne ceſſe de veiller ſur ſon egliſe, à ſes temps marquez pour mettre à* S *de-*

(a) *Tom.* XI. *Concilior. Harduini.*

decouvert le menſonge, & reveler l'iniquitè: apres avoir permis pour un temps pour des raiſons, que luy ſeul connoit, qu' elle demeurât cachée; & il a ètè donnè à Pierre, & à ſes Succeſſeurs de fortifier ſes freres dans ces occaſions importantes. C' eſt cequ' a produit la conſtitution de noſtre Saint Pere le Pape, per la condamnation des cent-une propoſitions, & du liure dont elles ont ẽſtè extraites. Le grand nombre de propoſitions priſes de tant d' endroits differents de cet ovorage, de puis ſon commencement juſqu à ſa fin, nous à donnè lieu d' en mieux connoître le venin, & toutes les erreurs.

Ludovicus Tour du Pin de Montauban Epiſcopus diœceſeos, vulgò dictæ *Tolon* in ſuo Edicto anno 1718. 28. Auguſti promulgato inter cætera inquit: *Adhæreſcite fratres chariſſimi fidei Petri, audite vocem Eccleſiæ, agnoſcite illam in Conſtitutione Unigenitus: firmiter credite Librum Reflexionum Moralium, & CI. Propoſitiones ex illo decerptas, fuiſſe juſtè damnatas.*

Audite tandem Queſnelliani Regium mandatum Ludovici XIV., quod anno 1714. Februarii 14. editum fuit, cujus quidem hæc eſt Sententia:

Lettres patentes du Roy.

Lovis par la grace de Dieu Roy de France, & de Navarre: A tous ceux qui ces preſentes lettres voiront, ſalut. Quel ques precautions que nous ayons priſes (a) depuis noſtre avenement à la couronne, pour ètoufer toutes les diſputes qui pourroient alterer la paix de l' Egliſe, & la puretè de la foy; les ſectateurs de la nouvelle doctrine de Janſenius, ont trouvè les moyens de ſe ſoûtenir, & meſme de s'accroiſtre, malgrè les Conſtitutions Apoſtoliques, acceptées des Eveſques de noſtre Royaume; malgrè leur vigilance à arreſter le progrez de ces nouvelles er-

(a) *Harduini Conicil. tom. XI.*

erreurs, & malgrè nos lettres patentes ragiſtrèes dans nos Cours de parlement, par les quelles nous avons toujours soûtenu, l'autorité Eccleſiaſtique. Nous avons appris par les plaintes que pluſieurs Prælats nous ont portées, qu' un des plus pernicieux ouvrages, par rapport à cette mauvaiſe doctrine, à eſtè composè par un des principaux chefs du parti, ſoux le titre *de nouveau Teſtament en françois, avec des reflexions morales ſurchaque verſet* &c. à Paris *1699*., & autrement, *Abregè de la morale de l' Evangile, des Epiſtres Canoniques, de l'Apocalypſe : ou, penſées Chreſtiennes ſur le texte de cesliures ſacrez* &c. à Paris *1693*. & *1694*. Nous avons crû que pour prèvenir les mauvais effets d' un liure ſi dangereux, nous devions commencer par revoquer le privilege que nous avions accordè pour en permettre l'impreſſion: & nous avons enſuite demandè à noſtre ſaint Pere le Pape, de porter ſon jugement ſur la doctrine contenuë dans ce livre. Sa Saintetè, apres l'avoir longtemps examiné avec le zele, & l'application que meritoit une affaire de cette importance, à donnè une conſtitution en forme de Bulle, le huit Septembre dernier, portant condamnation du livre, & de cent-une Propoſitions, qu' elle en a extraites &c. & paulo infra ſic. Et a finque cette Bulle fût acceptée plus promptement par un nombre conſiderable de Prelats, nous avons convoquè une aſſemblée extraordinaire compoſée des Cardinaux, Archeveſques, & Eveſques, que la neceſſitè de veiller aux affaires particulieres de leurs Dioceſes avoit attirez à noſtre ſuite, & apres une meure delberation, les Prelats de cette Aſsemblèe nous en ont preſentè le procez verbal, par le quel nous avons eû la ſatisfaction que voici, que reconnoiſſant dans la Conſtitution de noſtre Saint Pere le Pape la doctrine de l'Egliſe, ils l' ont reçûë avec la deference, & le reſpect qui eſt dû au chef viſibile, qu'il a plû à Dieu de luy donner.

S 2 Quam-

Quamquam igitur Pontificiæ Dogmaticæ Conſtitutiones non indigent ad ſuum robur, ac vigorem obtinendum, Chriſti Fidelium acceptatione: ad venerandam tamen, colendamque Conſtitutionem *Unigenitus*, qua Cl. Queſnelli Theſes damnantur, univerſus Orbis Catholicus conſpiravit. Ergo etiam e Queſnelli, Queſnellianorumque Sententia, qui falsò putant firmitatem, ac robur definitionum Sedis Apoſtolicæ ab accedente conſenſu Eccleſiæ pendere; jure optimo Queſnelli Theſes ſunt damnatæ, atque damnandæ, cum univerſæ Eccleſiæ conſenſus acceſſerit: At enim Queſnelliani ajunt ſuum deeſſe conſenſum, ac proindè nequaquam univerſalis Eccleſiæ acceſſiſſe conſenſum.

Reſponſio.

Si ad ſententiam Judicis abrogandam, reorum diſſenſio valeret, non verus Judex, ſed Scenicus haberetur: ſi ad reſcindendum univerſalis Eccleſiæ judicium, ſatis foret aliquorum, eorum ſcilicet, quos ipſa damnat, repugnantiâ: tunc enim verò, & Pelagiani, quos ab Apoſtolica Sede ſola damnatos perhorruit univerſalis Eccleſia, & Janſeniani, quos Innocentius X. ſolus vix damnavit, cum univerſalis Eccleſia reprobavit; jactabundi de Eccleſia Catholica triumpharent.

Jam verò, ſi nihil Divinæ paginæ, nihil Synodi, nihil Summorum Pontificum definitiones, nihil præſtantiſſima Divi Thomæ, ac Magni Auguſtini Teſtimonia, nihil demum tum Primævæ, tum Præſentis Eccleſiæ auctoritas, conſenſus, ac traditiones valent: Vicerunt Queſnelliani: ſin autem longe plurimum, imo verò etiam totum valent, ut certe valent: Vicimus Queſnellianos.

F I N I S.

IN-

INDEX

RERUM.

A

ADami gratiam non produxiſſe, niſi merita humana, & eſſe ſequelam creationis, & eſſe debitam naturæ ſanæ, & integræ Queſnellus aſſerit cum Bajo, quem S. Pius V., Gregorius XIII., & Urbanus VIII. condemnaverunt, pag. 113.

Adami gratia erat ſupernaturalis, & ipſius integræ, ac ſanæ naturæ indebita. p. 114. & 115.

Tum Adami gratia, & ſtatus innocentiæ, tum gratia Chriſtiana in propria uniuſcujuſque perſona recipitur. p. 116. 117. & 118.

Amores non ſunt duo, ut vult Queſnellus, ſed tres, amor nempe Theologicus, ſeu charitas Theologica, amor naturalis Dei, ſeu honeſti, & amor pravus. p. 146.

Pro amore juſtitiæ aliquando intelligit Auguſtinus amorem ortum ex Theologica charitate. p. 201.

B

BAptiſmus non extinguit concupiſcentiæ fomitem, neque concupiſcentias in adultis. p. 141. & 142.

Baſilii egregium dictum contra coquum, qui perſonam Theologi ſuſtinere auſus fuit. p. 230.

Digitized by Google

Bonum non ſemper latè pro quoque bono morali, ſed aliquando ſtrictè accipit Auguſtinus pro bono æternæ vitæ meritorio. p. 158.

C

CHriſtus Dominus non ſolum pro electis, ſed etiam pro reprobis Sanguinem profudit ſuum. p. 57. 58. 59. 60. 104. 105. & 106.

Chriſtus Dominus pro omnibus omnino hominibus tum electis, tum reprobis mortuus eſt. p. 99. & 100.

Chriſtus Dominus fidem illorum deſideravit, & fidem illorum quærebat, pro quibus dixerat: Pater ignoſce illis. p. 102.

Sine charitate Theologica dantur etiam actus moraliter boni, imo & ſupernaturales, ut attritio. p. 147.

Conimbricenſis Facultas Theologica ore pleno reprobat Cl. Queſnelli propoſitiones. p. 267.

D

DEus impoſſibilia non jubet. p. 64. & 65.

Deum impoſſibilia infidelibus, qui non veniunt ad Chriſtum, præcipere cogitur dicere Queſnellus. p. 69.

Divitiarum abdicationem præceptam eſſe Pelagius aſſerebat. p. 53.

Duacenſis Facultas Theologica ſatis, ſuperque expreſsè condemnat Cl. Theſes Queſnellianas. p. 269. & 270.

E

ECcleſia præſens damnat expreſſis verbis Cl. propoſitiones Queſnelli. p. 265.

Ex-

Extra Eccleſiam conceditur gratia interior actualis prævenieus. p.96.97. & 98.

In Eccleſia viſibili militante comprehenduntur & boni, & mali Catholici, & electi, & reprobi Catholici. p.222. & 223.

In Eccleſia Epiſcopi auctoritatem habent excommunicandi ſine conſenſu præſumpto totius Corporis. p.240.

In Eccleſiam Catholicam non poteſt cadere deceptio, & error, neque poteſt ea ſeneſcere. p.257. & 258.

F

Datur aliqua gratia ante fidem, ut veniatur ad fidem. p.88 & 89.

Fides non eſt prima gratia, cum eam præveniat alia gratia, nempe Spiritus Sancti inſpiratio. p.90. & 91.

Illam Sententiam Pauli: *Qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me*, non ſolum Juſti, ſed etiam Peccatores ſibi aptare poſſunt. p.110. 111. & 112.

Sententia Beati Pauli: *omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt*, quomodo explicetur. p.164.

Fides operatur non ſolum per charitatem Theologicam, ſed etiam ſine charitate. p.173.174. & 175.

Sententia Beati Pauli: *Fides, quæ per dilectionem operatur*, explicatur. p.177.

Non omnia ſalutis media continentur in fide. p. 178. & 179.

Fidem, uſum, augmentum, & præmium fidei ita eſſe totum donum puræ liberalitatis Dei affirmat Queſnellus, ut cooperationem humanam, & rationem meriti de medio tollat. p. 209. 210. & 211.

Gra-

G

GRatia Queſnelliana liberum tollit arbitrium, quippe quæ neceſſitatem illi imponat. p.22. & 23.
Gratia duplex contra Queſnellum, conciliorum, & D. Thomæ, & Auguſtini auctoritate oſtenditur, altera nempe efficax; altera verò ſufficiens. p.23. 24. & 25.
Gratia non eſt operatio manus Omnipotentis Dei, quam nihil impedire poteſt, aut retardare, ſed hujuſmodi gratia Queſnelliana à Tridentina, & Conſtantienſi Synodo reprobatur. p.46.
Alicui gratiæ divinæ peccatores reſiſtunt. p.66.
Idea gratiæ Queſnellianæ longè abhorret ab illa vera idea gratiæ, quam tradit Synodus Tridentina. p.75.
Idea gratiæ non benè ſignificatur per illam, qua creaturæ ex nihilo producuntur. p.82. & 83.
Gallicani Epiſcopi plurimi ſolemniter damnant CI. Theſes Queſnelli. p.271. & 272.
Gallicana Eccleſia prędicat *Judicia pro ſancienda regula fidei à Summis Pontificibus lata, divina æquè, ac ſumma per univerſam Eccleſiam auctoritate niti, cui Chriſtiani omnes ex officio ipſius quoque mentis obſequium præſtare tenentur.* p. 251.

H

TExtus, *non eſt in homine via ejus, nec viri eſt ut dirigat greſſus ſuos*, quomodò explicetur. p.52.
Homo ſine gratia poteſt efficere, ac reverà efficit aliqua opera; quæ non ſunt peccata, ſed ſunt opera moraliter bona. p.124.
Homo ſine auxilio ſpeciali gratiæ interioris poteſt efficere aliqua opera, quæ non ſunt peccata. p.136.

Homo

Homo ob ſui conſervationem non poteſt ſe diſpenſare ab ea lege, quam Deus condidit in ejus utilitatem. p. 216. & 217.
Hiſpalenſis Eccleſia damnat CI. propoſitiones Queſnelli. p. 266.

I

Judæis non deerat gratia ſufficiens ad Legem Divinam implendam. p. 34. 35. 36. 37. & 38.
Infideles ſine gratia juſtificante patrarunt aliqua opera moraliter bona, atque honeſta. p. 125. 126. & 127.
Sententia Auguſtini: *Omnia opera infidelium ſunt peccata, & omnis infidelium vita peccatum eſt*, quomodo explicanda ſit. p. 162. & 163.
Innocentes etiam in hac vita affliguntur. p. 213.
Juramenta ſunt licita, quæ recte fiunt. p. 261. & 262.

L

Liberum arbitrium eſſe immune tum à coactione, tum à ſimplici neceſſitate oſtenditur. p. 62. & 63.
Auguſtini illa Sententia: *Liberum arbitrium captivatum, non niſi ad peccatum valet*; quomodo ſit intelligenda. p. 136.
Laus Ludovici XIV., & Clementis XI. p. 259.
Ludovicus XIV. pius Rex mandato ſuo religioſiſſimo non ſolum execratur CI. propoſitiones Queſnelli, ſed etiam excitat vehementer Præſules, & Populos Regni ſui ad eaſdem Queſnellianas Theſes deteſtandas. p. 274. & 275.

Mor-

M

MOrtale peccatum non excludit opera moraliter honeſta. p.191.
Meldenſis Epiſcopus in Florentino Concilio nomine Caroli VII., & Gallicanæ Eccleſiæ ſupremam Poteſtatem non in Concilio Generali, ſed in Romano Pontifice conſiſtere profeſſus eſt. p.243.
Mechlinienſis Archiepiſcopus epiſtola Paſtorali ad univerſum Clerum, & Populum Diœceſeos, & infallibilitatem Papæ profitetur in decidendis fidei quæſtionibus, & CI. propoſitiones Queſnelli execratur. p.269.

N

AUguſtini Sententia: *Nemo habet de ſuo, niſi mendacium, & peccatum*; rectè explicatur. p.138. 139. & 140.

O

ORationem impiorum eſſe novum peccatum, ſi peccator petat complementum alicujus peccati. p.192.
Orationem impiorum non eſſe novum peccatum, ſed eſſe bonam, ſi petantur neceſſaria ad ſalutem. p.192.

P

PEccator poſt gratiam habitualem amiſſam non remanet impotens ad omne opus bonum. p.18. & 19.
Præcepta Divina non ſunt vana, licet peccatori Deus non efficacem, ſed ſufficientem gratiam largiatur. p.28.
Gratiæ exteriores ſunt utiles, & inter beneficia referendæ. p.32. & 33.

Ad

Ad Providentiam Divinam non pertinet naturam rerum corrumpere, ſed ſervare; unde omnia movet ſecundum eorum conditionem, ut ex cauſis neceſſariis per motionem divinam ſequantur effectus ex neceſſitate; ex cauſis autem contingentibus ſequantur effectus contingentes. p. 52.

Pariſienſis Facultas Theologica damnat ſolemniter CI. Theſes Queſnelli. p. 270. & 271.

Q

Quilibet Catholicus etiam peccator dummodo vinculis anathematis non ſit devinctus, habet jus aſſiſtendi ſacrificio Eccleſiæ. p. 238.

Queſnellus ut excitet Janſeniſtas, & Queſnellianos ad contemnendum formularium Alexandri VII. Summi Pontificis damnantis V. Janſenii propoſitiones, fingit Summorum Pontificum cenſuras eſſe injuſtas. p. 249.

Queſnello diſplicet vehementer formula juramenti ab Alexandro VII. Summo Pontifice Gallis præſcripta ob Janſenii errores reprobandos. p. 264.

R

Remiſſio Peccatorum non eſt prima gratia, quam Deus Peccatori concedit, cum eam plures aliæ gratiæ præcedant. p. 92. & 93.

Reconciliationis cum Deo dilatio reprobatur. p. 233. & 234.

Romanus Pontifex in Eccleſiam, ſupremam, plenamque Poteſtatem habet excommunicandi ſine præſumpto totius corporis conſenſu. p. 241. & 242.

S

Semen Verbi, quod manus irrigat Dei, non ſemper afferre fructum ſuum patet clarè celebri illa Chriſti Domini parabola. p.70.71. & 72.
Spes poteſt conſiſtere ſine charitate. p. 189.
Sacram Scripturam non licet rudibus hominibus, & fœminis habere in vulgari translatam. p.229.

T

Timor geennæ bonus eſt. p.198. & 199.
Timor pœnæ malus eſt, ſi quis vult facere quod non licet fieri; ſed ideò non facit, quia impune non poteſt fieri. p.200.

V

Vult Deus ſalvare reprobos etiam, qui tamen ejus beniſſimæ voluntati, ſuopte libero pravo refragantur arbitrio. p.57.
Voluntas hominis neque cogitur, neque movetur ex neceſſitate ad aliquid eligendum. p.63.
Violatoribus Divinæ Legis omnem prorſus gratiam deeſſe falsò ſentit Queſnellus. p.64.
Vocatio divina non omnis eſt efficax, quia multi vocati non veniunt. p.67.
Omnes vocati habent ſufficiens auxilium ad veniendum. p.67.
Vocatio interioris gratiæ duplex eſt, altera efficax, altera verò ſufficiens. p. 108. & 109.

Google

Digitized by Google

Digitized by Google

[illegible] Goo[illegible]